L
N 6
T 2
NAZIONALE
B. Prov.
117
NAPOLI

1
N 6
T. 2
NAZIONALE
B. Prov.
117
NAPOLI

Digitized by Google

NAZIONALE
B. Prov.
XXI
117
BIBLIOTECA
VITT. EM. III
NAPOLI

31-9-78

BIBLIOTECA PROVINCIALE

Armadio 10

Palchetto 16

Num.° d' ordine 79

34026

A-4-D-31

109
1
1-2
B. Prev.
XXI
11-118

P. VIRGILII MARONIS

OPERA.

SON
6h8617

P. VIRGILII MARONIS

OPERA

AD OPTIMAS EDITIONES

COLLATA

PRAEMITTITUR NOTITIA LITERARIA

STUDIIS SOCIETATIS BIPONTINAE

BIBLIOTECA PROVINCIALE
NAPOLI

EDITIO SECUNDA

EMENDATIOR ET AUCTIOR.

ARGENTORATI
EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS
MDCCCVIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE
NAPOLI



TIB. CLAUDII DONATI
AD
TIB. CLAUDIANUM MAXIMUM
DONATIANUM FILIUM
DE
P. VIRGILII MARONIS
VITA.

I. PUBLIUS VIRGILIUS MARO parentibus modicis fuit, et praecipue patre Marone, quem quidam opificem figulum, plures Magii cuiusdam, viatoris, initio mercenarium, mox ob industriam generum, tradiderunt: quem cum agricolationi, reique rusticae et gregibus praefecisset socer, silvis coëmundis et apibus curandis reculam auxit. Natus est Cn. Pompeio Magno, M. Licinio Crasso primum Coss. Iduum Octobrium die, in pago, qui Andes dicitur, qui est a Mantua non procul. Praegnans eo mater somniavit Maia, enixam se laureum ramum, quem contacta terra confestim cerneret coaluisse, et excrevisse illico in speciem maturae arboris, refertae variis pomis et floribus: ac sequenti luce cum marito rus pro-

pinquum petens, ex itinere divertit, atque in subiecta fossa partu levata est. Ferunt infantem, ut fuit editus, nec vagisse, et adeo miti vultu fuisse, ut haud dubiam spem prosperioris geniturae iam tum indicaret. Et accessit aliud praesagium. Siquidem virga populea, more regionis in puerperiis eodem statim loco depacta, ita brevi coaluit, ut multo ante satas populos adaequarit. Quae arbor Virgilii ex eo dicta, atque consecrata est; summa gravidarum et fetarum religione, suscipientium ibi et solventium vota.

II. Initio aetatis, id est, usque ad septimum annum, Cremonae egit: et XV. anno virilem togam cepit, illis Consulibus iterum, quibus natus erat. Evenitque, ut eo ipso die Lucretius poëta discederet. Sed Virgilius Cremona Mediolanum, et inde paulo post Neapolim transiit. Ubi cum literis et Graecis et Latinis vehementissimam operam dedisset, tandem omni cura omnique studio indulsit medicinae et mathematicae.

III. Quibus rebus cum ante alios eruditior peritiorque esset, se in Urbem contulit, statimque, magistri stabuli equorum Augusti amicitiam nactus, multos variosque morbos incidentes equis curavit. At ille in mercedem singulis diebus panes Virgilio, ut uni ex stabulariis, dari iussit. Interea a Crotoniatis pullus equi, mirae pulchritudinis, Caesari dono fuit missus: qui omnium iudicio spem portendebat virtutis et celeritatis immensae. Hunc cum adspexisset Mato, magistro stabuli dixit, natum esse ex morbosa equa, et

nec viribus valiturum, nec celeritate: idque verum fuisse inventum est. Quod cum magister stabuli Augusto recitasset, duplicari ipsi in mercedem panes iussit. Cum item ex Hispania Augusto canes dono mitterentur, et parentes eorum dixit Virgilius, et animum, celeritatemque futuram. Quo cognito, mandat iterum Virgilio panes duplicari.

IV. Dubitavit Augustus, Octaviine filius esset, an alterius: idque Maronem aperire posse arbitratus est, quia canum et equi naturam parentesque cognorat. Amotis igitur omnibus arbitris, illum in penitiorem partem domus vocat, et solum rogat, an sciat quisnam esset, et quam ad felicitandos homines facultatem haberet. *Novi*, inquit Maro, *te, Caesar Auguste, et ferme aequam cum Dîs immortalibus potestatem habere, ut, quem vis, felicem facias. Eo animo sum*, respondit Caesar, *ut, si verum pro rogatu dixeris, beatum te felicemque reddam. Utinam*, ait Maro, *interroganti tibi vera dicere queam!* Tunc Augustus: *Putant alii me natum Octavio: quidam suspicantur alio me genitum viro.* Maro subridens, *Facile*, inquit, *si impune licenterque quae sentio loqui iubes, id dicam.* Affirmat Caesar iureiurando, nullum eius dictum aegre laturum, immo non nisi donatum ab eo discessurum. Ad haec oculos oculis Augusti infigens Maro, *Facilius*, ait, *in ceteris animalibus qualitates parentum a mathematicis et philosophis cognosci possunt, in homine nequaquam possibile est; sed de te coniecturam habeo similem veri, ut quid exer-*

cuerit pater tuus, scire possim. Attente exspectabat Augustus, quidnam diceret. At ille: *Quantum ego rem intelligere possum, pistoris filius es.* inquit. Obstupuerat Caesar, et statim, quo id pacto fieri potuerit, animo volvebat. Interrumpens Virgilius: *Audi,* inquit, *quo pacto id coniicio. Cum quaedam enuntiarim praedixerimque, quae intelligi scirique non nisi ab eruditissimis summisque viris potuissent: tu, Princeps orbis, item et item panes in mercedem dari iussisti: quod quidem aut pistoris, aut nati pistore, officium erat.* Placuit Caesari facetia. *At deinceps,* inquit Caesar, *non a pistore, sed a rege magnanimo dona feres:* illumque plurimi fecit, et Pollioni commendavit.

V. Corpore et statura fuit grandi, aquilo colore, facie rusticana, valetudine varia. Nam plerumque ab stomacho, et faucibus, ac dolore capitis, laborabat: sanguinem etiam saepius reiecit: cibi vinique minimi. Fama est, eum libidinis prodigioris in pueros fuisse. Sed boni ita eum pueros amasse putaverunt, ut Socrates Alcibiadem, et Plato suos pueros. Verum inter omnes maxime dilexit Cebetem et Alexandrum, quem secunda Bucolicorum Ecloga Alexin appellat: donatum sibi ab Asinio Pollione. Utrumque non inerauditum dimisit: Alexandrum grammaticum, Cebetem vero et poëtam. Vulgatum est, consuevisse eum cum Plotia Hieria. Sed Asconius Pedianus affirmat, ipsam postea maiorem natu narrare solitam, invitatum quidem a Vario ad communionem sui, verum pertinacissime recusasse. Cetera

sane vita, et ore et animo tam probum fuisse constat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellaretur: ac, si quando Romae, quo rarissime commeabat, viseretur in publico, sectantes demonstrantesque se subterfugere solitum in proximum tectum. Bona autem cuiusdam exsulantis offerente Augusto, non sustinuit accipere.

VI. Possedit prope centies sestertiûm, ex liberalitatibus amicorum, habuitque domum Romae in Esquiliis iuxta hortos Maecenatis: quamquam secessu Campaniae Siciliaeque plurimum uteretur. Quaecunque ab Augusto peteret, repulsam nunquam habuit. Parentibus quotannis aurum ad abundantem alitum mittebat, quos iam grandis amisit: ex quibus patrem oculis captum, et duos fratres germanos, Silonem impuberem, Flaccum iam adultum, cuius exitum sub nomine Daphnidis deflet. Inter cetera studia, ut supra diximus, medicinae quoque, ac maxime mathematicae, operam dedit. Egit et causam unam omnino; nec amplius quam semel. Sermone tardissimum, ac paene indocto similem fuisse, Melissus tradit.

VII. Poëticam puer adhuc auspicatus, in Balistam, ludi gladiatorii magistrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, distichon fecit:

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:
Nocte, die, tutum carpe viator iter.

Deinde Catalecton, et Moretum, et Priapeia, et Epigrammata, et Diras, et Culicem, cum es-

set annorum quindecim. Cuius materia talis est: Pastor fatigatus aestu cum sub arbore obdormisset, et serpens ad illum proreperet, e palude culex provolavit, atque inter duo tempora aculeum fixit pastori. At ille continuo culicem contrivit, et visum serpentem interemit, ac sepulcrum culici statuit, et distichon fecit:

Parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

VIII. Scripsit etiam, de qua ambigitur, Aetnam. Et mox, cum res Romanas inchoasset, offensus materia et nominum asperitate, ad Bucolica transiit: maxime ut Asinium Pollionem, Alphenum Varum, et Cornelium Gallum celebraret: quia in distributione agrorum, qui post Philippensem victoriam veteranis, Triumvirorum iussu, trans Padum dividebantur, indemnem se praestitissent. Deinde Georgica in honorem Maecenatis edidit, cum sibi vixdum noto opem tulisset adversus Claudii veterani militis, vel, ut alii putant, Arrii centurionis violentiam, a quo in altercatione litis agrariae parum abfuit quin occideretur. Novissime autem Aeneidem aggressus est; argumentum varium, et multiplex, et quasi amborum Homeri carminum instar: praeterea nominibus ac rebus Graecis Latinisque commune, et in quo, quod maxime studebat, Romanae simul urbis, et Augusti origo contineretur.

IX. Cum Georgica scriberet, traditur quotidie meditatos mane plurimos versus dictare solitus, ac per totum diem retractando ad paucissimos

redigere, non absurde carmen se ursae more parere dicens, et lambendo demum effingere. Aeneida prosa prius oratione formatam, digestamque in XII. libros, particulatim componere instituit, ut quidam tradunt. Alii eius sententiae sunt, ut existiment, eum, si diutius vixisset, quatuor et viginti libros usque ad Augusti tempora scripturum, atque alia quaedam percursurum, Augusti vero gesta diligentissime exsecuturum: quippe qui, dum scriberet, ne quid impetum moraretur, quaedam imperfecta reliquit; alia levissimis versibus veluti fulsit: quos per iocum pro tigillis vel tibicinibus interponi a se dicebat, ad sustinendum opus, donec solidae columnae advenirent.

X. Bucolica triennio Asinii Pollionis suasu perfecit. Hic Transpadanam provinciam regebat: cuius favore, cum veteranis Augusti militibus Cremonensium et Mantuanorum agri distribuerentur, suos Virgilius non amisit. Facta enim distributione, suos seu Claudio seu Arrio datos, recuperavit. Hunc Pollionem maxime amavit Maro, et dilectus ab eo magna munera tulit. Quippe qui invitatus ad coenam, captus pulchritudine et diligentia Alexandri, Pollionis pueri, eum dono accepit. Huius Pollionis filium, C. Asinium, et Cornelium Gallum, oratorem clarum, et poëtam non mediocrem, miro amore dilexit Virgilius. Is transtulit Euphorionem in Latinum, et libris quatuor amores suos de Cytheride scripsit. Hic primo in amicitia Caesaris Augusti fuit: post-

ea in suspicionem coniurationis contra illum adductus, occisus est. Verum usque adeo hunc Gallum Virgilius amarat, ut quartus Georgicorum, a medio usque ad finem, eius laudem contineret. Quem postea, iubente Augusto, in Aristaei fabulam commutavit.

XI. Georgica septennio Neapoli: Aeneida partim in Sicilia, partim in Campania duodecim confecit annis. Bucolica eo successu edidit, ut in scena quoque per cantores crebra pronuntiatione recitarentur. At cum Cicero quosdam versus audisset, et statim acri iudicio intellexisset non communi vena editos, iussit ab initio totam eclogam recitari: quam cum accurate pernotasset, in fine ait, *Magnae spes altera Romae.* Quasi ipse linguae Latinae spes prima fuisset, et Maro futurus esset secunda. Quae verba postea Aeneidi ipse inseruit. Georgica, reverso ab Actiaca victoria Augusto, atque reficiendarum faucium causa Atellae commoranti, per continuum quatriduum legit, suscipiente Maecenate legendi vicem, quoties interpellaretur ipse vocis offensione. Pronuntiabat autem maxima cum suavitate, et lenociniis miris. Seneca tradidit, Iulium Montanum poëtam solitum dicere, involaturum se quaedam Virgilio, si vocem posset, et os, et hypocrisim: eosdem enim versus, eo pronuntiante, bene sonare; sine illo, inarescere, quasi mutos.

XII. Aeneidos vix dum coeptae tanta exstitit fama, ut Sext. Propertius non dubitarit sic praedicare:

Cedite Romani scriptores, cedite Graii.
Nescio quid maius nascitur Iliade.

Augustus vero, cum tum forte expeditione Cantabrica abesset, et supplicibus atque minacibus per iocum literis efflagitaret, ut sibi de Aeneide, ut ipsius verba sunt, vel prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret, negavit se facturum Virgilius: cui tamen multo post, perfecta demum materia, tres omnino libros recitavit: secundum videlicet, quartum, et sextum. Sed hunc praecipue ob Octaviam: quae, cum recitationi interesset, ad illos de filio suo versus, *Tu Marcellus eris*, defecisse fertur: atque aegre refocillata, dena sestertia pro singulo versu Virgilio dari iussit. Recitavit et pluribus: sed neque frequenter, et ferme illa, de quibus ambigebat, quo magis iudicium hominum experiretur. Erotem, librarium et libertum eius, exactae iam senectutis, tradunt referre solitum, quondam in recitando eum duos dimidiatos versus complesse ex tempore: et huic *Misenum Aeolidem*, adiecisse, *quo non praestantior alter:* item huic, *Aere ciere viros*, simili calore actutum subiunxisse, *Martemque accendere cantu:* statimque sibi imperasse, ut utrumque volumini adscriberet.

XIII. Bucolica Georgicaque emendavit. Anno vero quinquagesimo secundo, ut ultimam manum Aeneidi imponeret, statuit in Graeciam et Asiam secedere, triennioque continuo omnem operam limationi dare, ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret. Sed, cum aggressus iter,

libri correxisse principium, his demtis versibus:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, et egressus silvis, vicina coëgi.
Ut quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis
Arma virumque cano.

XVI. Obtrectatores Virgilio nunquam defuerunt. Nam ne Homero quidem. Prolatis Bucolicis innominatus quidam rescripsit Antibucolica, duas modo Eclogas, sed insulsissime, παρῳδήσας, quarum prioris initium est:

Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?

sequentis,

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus, anne Latinum?
Non: verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.

Alius, recitante ea ex Georgicis, *Nudus ara, sere nudus*, subiecit, habebis frigora, febrem.

Est et adversus Aeneida liber Carvilii Pictoris, titulo Aeneidomastix. M. Vipsanius a Maecenate eum suppositum appellabat novae κακοζηλίας repertorem; non tumidae, neque exilis, sed ex communibus verbis, atque ideo labentis. Herennius tantum vitia eius contraxit: Perilius Faustinus furta. Sunt et Q. Octavii Aviti Ὁμοιοτελεύτων octo volumina, quibus annotantur, quos et unde versus transtulerit. Asconius Pedianus, libro quem contra obtrectatores Virgilii scripsit, pauca admodum ei obiecta ponit: et potissimum, quod non recte historiam contexuit, et quod pleraque ab Homero sumsit. Sed hoc crimen sic defendere assuetum ait: *Cur non illi quoque eadem*

furta tentarent? Verum intellecturos, facilius esse Herculi clavam, quam Homero versum surripere: et tamen destinasse secedere, ut omnia ad satietatem malevolorum decideret.

XVII. Refert etiam Pedianus, benignum, cultoremque omnium bonorum atque eruditorum fuisse, et usque adeo invidiae expertem, ut, si quid erudite dictum inspiceret alterius, non minus gauderet, ac si suum fuisset: neminem vituperare, laudare bonos: ea humanitate esse, ut, nisi perversus maxime, quisque illum non diligeret modo, sed amaret. Nihil proprii habere videbatur. Eius bibliotheca non minus aliis doctis patebat, ac sibi: illudque Euripidis antiquum saepe usurpabat, *τὰ τῶν φίλων κοινὰ*, hoc est, *communia amicorum esse omnia.* Quare coaevos omnes poëtas ita adiunctos habuit, ut, cum inter se plurimum invidia arderent, illum una omnes colerent; Varius, Tucca, Horatius, Gallus, Propertius. Anser vero, quoniam Antonii partes secutus est, illum non observasse dicitur. Cornificius ob perversam naturam illum non tulit. Gloriae vero adeo contemtor fuit: cum quidam versus quosdam sibi adscriberent, eaque re docti haberentur, non modo aegre non ferebat, immo voluptuosum id illi erat. Cum enim distichon, quod laudem felicitatemque Augusti continebat, fecisset, valvisque non nominato auctore affixisset, (id erat eiusmodi,

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:
Divisum imperium cum Iove Caesar habet.)

diu quaeritans Augustus, cuiusnam hi versus essent, eorum auctorem non inveniebat. Bathyllus vero poëta quidam mediocris, tacentibus aliis, sibi adscripsit. Quamobrem donatus honoratusque a Caesare fuit. Quod aequo animo non ferens Virgilius, iisdem valvis affixit quater hoc principium: *Sic vos non vobis.* Postulabat Augustus, ut hi versus complerentur. Quod cum frustra aliqui conati essent, Virgilius, praeposito disticho, sic subiunxit:

Hos ego versiculos feci: tulit alter honores:
Sic vos non vobis nidificatis aves.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Quo cognito, aliquamdiu Bathyllus Romae fabula fuit, Maro vero exaltatior.

XVIII. Cum is aliquando Ennium in manu haberet, rogareturque quidnam faceret; respondit, se aurum colligere de stercore Ennii. Habet enim poëta ille egregias sententias sub verbis non multum ornatis. Interroganti Augusto, quo pacto civitas feliciter gubernaretur: *Si prudentiores*, inquit, *temonem tenuerint, et boni malis praeponantur: itaque optimi suos habeant honores, nulli tamen aliorum iniusti quidquam fiat.* At Maecenas: *Quid*, inquit, *Virgili, satietatem homini non adfert? Omnium rerum*, respondit, *aut similitudo aut multitudo stomachum facit, praeter intelligere.* Idem interrogavit: *Quo pacto quis altam felicemque fortunam servare potest?* Cui Maro: *Si, quantum honore ac*

divitiis aliis praestantior sit, tanto liberalitate et iustitia alios superare nitatur. Solitus erat dicere, *Nullam virtutem commodiorem homini esse patientia: ac nullam asperam adeo esse fortunam, quam prudenter patiendo vir fortis non vincat.* Quam sententiam in quinto Aeneidos inseruit:

Nate Dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur:

Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Cum quidam eius amicus Cornificii in eum maledicta et inimicitias sibi enarraret: *Quam putas,* inquit, *esse huius malevolentiae causam? Nam neque unquam Cornificium offendi, et eum amo. An,* inquit, *Hesiodi sententiae non meministi, ubi ait, architectum architecto invidere, et poëtam poëtae? De malis,* inquit, *Graecus ille intellexit: nam boni eruditiores amant. Sed magna cum laude et gloria vindictam in manu habeo. Maiore enim cura virtuti intendam; atque quo elegantior ego fiam, eo vehementior invidia rumpetur.* Erat Augusto familiaris Philistus quidam, orator et poësin mediocriter doctus, cui multiplex variumque ingenium erat, quique omnium omnia dicta reprehendere conabatur: non ut verum dignosceret, quod Socrates facere consuevit, sed ut eruditior videretur. Hic Virgilium, ubicunque convenire dabatur, maledictis salibusque vexabat. Quare ille saepe aut tacitabundus discedebat, aut suffusus pudore tacebat. Verum, cum Augusto audiente elinguem illum diceret, et causam etiam suam, si linguam haberet, defendere nequire: *Tace,* inquit, *Fu-*

bula. Nam haec mea taciturnitas defensorem causarum mearum Augustum fecit et Maecenatem: et ea tuba, cum volo, loquor, quae ubique et diutissime audietur. Tu loquacitate non modo aures hominum, sed muros rumpis. Augustus vero Philistum gravi vultu increpavit. Tunc Maro, *Si tempus, Caesar,* inquit, *tacendi hic sciret, raro loqueretur. Tacendum enim semper est, nisi cum taciturnitas tibi noceat, aut oratio aliis prosit. Nam qui contendit, et an contentionis finis utilis sit, non novit, stultis illum adnumerandum sapientes putant.*

XIX. Posteaquam Augustus summa rerum omnium potitus est, venit in mentem, an conduceret tyrannidem omittere, et omnem potestatem annuis consulibus, et senatui rempublicam reddere: in qua re diversae sententiae consultos habuit, Maecenatem et Agrippam. Agrippa enim utile sibi fore, etiamsi honestum non esset, relinquere tyrannidem longa oratione contendit: quod Maecenas dehortari magnopere conabatur. Quare Augusti animus et hinc ferebatur et illinc. Erant enim diversae sententiae, variis rationibus firmatae. Rogavit igitur Maronem, an conferat privato homini, se in sua republica tyrannum facere. Tum ille, *Omnibus ferme,* inquit, *remp. aucupantibus molesta ipsa tyrannis fuit, et civibus: quia necesse erat propter odia subditorum, aut eorum iniustitiam, magna suspicione magnoque timore vivere. Sed si cives iustum aliquem scirent, quem amarent plurimum, civitati id utile esset, si in eo uno omnis potestas foret. Quare si iustitiam, quod modo facis,*

omnibus in futurum nulla hominum facta compositione distribues: dominari te, et tibi conducet, et orbi. Benevolentiam enim omnium habes, ut Deum te et adorent, et credant. Eius sententiam secutus Caesar principatum tenuit. Audivit à Syrone praecepta Epicuri: cuius doctrinae socium habuit Varium. Quamvis diversorum Philosophorum opiniones libris suis inseruisse de animo maxime videatur, ipse tamen fuit Academicus: nam Platonis sententias omnibus aliis praetulit.

XX. Nunc quoniam de auctore summatim diximus, de ipso iam carmine dicendum videtur: quod bifariam tractari solet, hoc est, et ante opus, et in ipso opere. Ante opus, titulus, causa, intentio. Titulus, in quo quaeritur, cuius sit. Causa, unde ortum sit, et quare hoc potissimum sibi ad scribendum poëta praesumserit. Intentio, in qua cognoscitur, quid efficere conetur poëta. In ipso opere sane tria spectantur, numerus, ordo, explanatio. Quamvis igitur multa ψευδογραφῆ, id est, falsa inscriptione, sub alieno nomine sunt prolata, ut Thyestes tragoedia huius poëtae, quam Varius edidit pro sua, et alia huiuscemodi; tamen Bucolica liquido Virgilii esse minime dubitandum est: praesertim cum ipse poëta, tanquam hoc metuens, principium huius operis et in principio Aeneidos et in alio carmine suum esse testatus sit, dicens:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena,

et reliqua: et,

Carmina qui lusi pastorum, audaxque iuventa,

Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

Bucolica autem et dici, et recte appellari, vel hoc solum indicium suffecerit, quod hoc eodem nomine apud Theocritum censeantur. Verum ratio quoque demonstranda est. Tria sunt pastorum genera, quae dignitatem in Bucolicis habent: quorum qui minimi sunt, αἰπόλοι dicuntur a Graecis; iidem a nobis caprarii: paulo honoratiores, qui ποιμένες, id est, opiliones dicuntur: honestissimi, et maximi, βυκόλοι, quos bubulcos dicimus. Unde igitur magis debuit pastorali carmini nomen imponi, quam ab eo gradu, qui apud pastorales excellentissimus invenitur? Causa dupliciter inspici solet: ab origine carminis, et a voluntate scribentis.

XXI. Originem autem Bucolici carminis alii ob aliam causam ferunt. Sunt enim, qui a Lacedaemoniis pastoribus Dianae primum carmen hoc redditum dicant, cum eidem Deae, propter bellum, quod toti Graeciae illo tempore Persae inferebant, exhiberi per virgines de more sacra non possent. Alii ab Oreste circa Siciliam vago, id genus carminis Dianae redditum loquuntur per ipsum atque pastores: quo tempore de Scythia cum Pylade fugerat, surrepto numinis simulacro, et celato in fasce lignorum. Unde Fascelidem Dianam perhibent nuncupatam: apud cuius aras Orestes per sacerdotem eiusdem numinis Iphigeniam sororem suam a parricidio fuerat expiatus. Alii Apollini Nomio, pastorali scilicet Deo, qua tempestate Admeti boves paverat. Alii Libero,

Nympharum scilicet, et Satyrorum, et id genus numinum principi; quibus placet rusticum carmen. Alii Mercurio Daphnidis patri, pastorum omnium principi, et apud Theocritum, et apud hunc ipsum poëtam. Alii in honorem Panos scribi putant peculiariter pastoralis Dei, item Sileni, Silvani, atque Faunorum. Quae cum omnia dicantur, illud erit probatissimum, Bucolicum carmen originem ducere a priscis temporibus, quibus vita pastoralis exercita erat: et ideo velut aurei seculi speciem in eiusmodi personarum simplicitate cognosci: et merito Virgilium, processurum ad alia carmina, non aliunde coepisse, nisi ab ea vita, quae prima in terris fuit. Nam postea rura culta, et ad postremum pro cultis et feracibus terris bella susceptа: quod videtur Virgilius in ipso ordine operum suorum voluisse monstrare, cum pastores primo, deinde agricolas canit, et ad ultimum bellatores.

XXII. Restat, ut, quae causa voluntatem attulerit poëtae Bucolica potissimum scribendi, consideremus. Aut enim dulcedine carminis Theocriti et admiratione eius illectus est: aut ordinem temporum est secutus erga vitam humanam, ut supra diximus: aut tres modos elocutionum, quos χαρακτῆρας Graeci vocant; ἰσχνὸν, qui tenuis, ἁδρὸν, qui validus, μέσον, qui moderatus intelligitur. Credibile erat Virgilium, qui in omni genere praevaluerit, Bucolica primum, Georgica secundum, Aeneida tertium voluisse conscribere. Aut ideo potius primo Bucolica scripsit,

ut in eiusmodi carmine, quod et paulo liberius, et magis validum, quam cetera, est, facultatem haberet captandae Caesaris indulgentiae, recuperandique agri, quem amiserat ob hanc causam. Die tertio Iduum Martiarum C. Caesare interfecto, cum Augustum Caesarem paene puerum veterani milites, non abnuente Senatu, sibi ducem constituissent, exorto bello civili, Cremonenses cum ceteris eiusdem studii, adversarios Augusti Caesaris adiuverunt. Unde factum est, ut, cum victor Augustus in eorum agros veteranos deduci iussisset, non sufficiente agro Cremonensium, Mantuani quoque, in quibus erat Virgilius, maximam partem suorum finium perdiderint, eo quod vicini Cremonensibus fuerant. Sed Virgilius Augusti familiaritate suoque carmine fretus, Centurioni Arrio obsistere ausus est. Ille statim, ut miles, ad gladium manum admovit. Cumque se in fugam proripuisset poëta, non prius persequendi finis fuit, quam se in fluvium Virgilius coniecisset. Sed postea, Maecenate, et Pollione, et ipso Augusto faventibus, agros suos recepit.

XXIII. Intentio libri, quam σκοπὸν Graeci vocant, imitatione Theocriti poëtae constituitur, qui Siculus et Syracusanus fuit. Est intentio etiam in laudem Caesaris, et principum ceterorum, per quos in sedes suas rediit: unde, ut et delectationem et utilitatem finis contineret, secundum praecepta cuncta confecit. Quaeri solet, cur non plures quam decem Eclogas conscripserit: quod nequaquam mirandum videbitur ei, qui

consideraverit aetatem scenarum pastoralium, quae ultra hunc numerum non potest proferri; praesertim cum ipse poëta circumspectior Theocrito, ut ipsa res indicat, videatur metuere, ne illa Ecloga, quae Pollio inscribitur, minus rustica videatur, cum ipsam sic praestruat ipse, dicens, *Sicelides Musae, paulo maiora canamus:* et idem similiter in aliis duabus facit. Illud tenendum esse praedicimus in Bucolicis Virgilii, neque nusquam, neque ubique aliquid figurate dici, hoc est, per allegoriam. Vix enim propter laudem Caesaris et amissos agros haec Virgilio conceduntur; cum Theocritus, quem hic noster toto studio imitari conatur, simpliciter omnino conscripserit.

XXIV. Quod autem in ipso carmine tractari solet, est numerus, ordo, explanatio. Numerus Eclogarum manifestus est. Nam decem sunt: ex quibus proprie Bucolicae VII. esse creduntur: nam tres ultimae proprie Bucolicae dici non debent, Pollio scilicet, Silenus, et Gallus. Prima igitur continet conquestionem publicam, et privatam congratulationem de agro, et dicitur Tityrus. Secunda amorem pueri, et dicitur Alexis. Tertia certamen pastorum, et dicitur Palaemon. Quarta genethliacum, et dicitur Pollio. Quinta epitaphium, et dicitur Daphnis. Sexta metamorphosin, et dicitur Varus, et Silenus. Septima amores diversorum sexuum, et dicitur Corydon. Octava Pharmaceutria, et dicitur Damon. Nona continet poëtae conquestionem de amisso agro,

et dicitur Moeris. Decima desiderium Galli, et dicitur Gallus. Quod ad ordinem spectat, illud scire debemus, in prima tantum, et ultima Ecloga poëtam voluisse ordinem servare: quoniam in altera principium constituit: ut in Georgicis ait: *Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi:* in altera ostendit finem: quippe qui dicat, *Extremum, Arethusa, mihi concede laborem.* Verum, inter ipsas Eclogas, pastoralem conscriptumque ordinem nullum esse certissimum est. Sed sunt qui dicant, initium Bucolici carminis non *Tityre* esse; sed *Prima Syracusio dignata est ludere versu.*

XXV. Superest explanatio: ad quam antequam veniamus, illud dixerim, tenue esse Bucolicum carmen, et usque adeo ab heroico charactere distare, ut versus quoque huius carminis suas quasdam caesuras habeant, et suis legibus distinguantur. Nam cum tribus probetur metrum, caesura, scansione, modificatione; non erit Bucolicus versus, nisi in quo et pes primus partem orationis absolverit: et tertius trochaeus fuerit et caesura, et quartus pes dactylus magis quam spondeus partem orationis terminaverit, quintus et sextus pes ex integris dictionibus fuerit: quod Virgilius a Theocrito saepe servatum, victus operis difficultate, neglexit. In solo principio, incertum industria an casu, has caesuras servavit. Nam *Tityre,* dactylus partem orationis absolvit, *tu patu,* *lae recu;* tertium dactylum, quamvis de composita dictione conclusit: *bans sub* quartum spondeum pro dactylo. Cum subiunxit, *tegmine fagi,* termi-

natis partibus orationis integrum comma perfecit: cuius rei diligentiam licet in Theocriti omnibus ferme versibus admirari. Qui vero supra dicta acri iudicio diligenterque considerarit, facile intelliget, quae in Georgicis intentio, quique finis fuerit, nec minus etiam in Aeneide. Poëmatis stili genera tria sunt. Aut enim activum vel imitativum, quod Graeci δραματικὸν appellant, in quo personae loquentes introducuntur sine poëtae interlocutione: ut sunt Tragoediae, et Comoediae: δρᾷν enim Graece agere dicitur: quo genere scripta est prima, *Tityre*. et, *Quo te Moeri pedes*. Aut enarrativum, quod Graeci διηγηματικὸν appellant: in quo poëta ipse loquitur sine interpositione personae, ut tres primi Georgicon libri, item Lucretii carmina. Aut commune, vel mixtum, quod Graeci μικτὸν appellant; ubi et poëta ipse loquitur, et introductae personae; ut est Virgilii Aeneis.

NOTITIA LITERARIA

DE

P. VIRGILIO MARONE

ex Io. Alb. Fabricii Bibliotheca latina a Io. Aug. Ernesti auctius edita. Tom. I. cap. XII.

VIRGILII Aetas.

P. VIRGILIUS MARO, natus Pompeio et Crasso Coss. anno U. C. 684. ante C. N. 69. Idibus Octobris[1] Andibus[2] prope Mincium flumen in agro Mantuano, unde *Mantuanus* passim et *Andinus* vates, atque Iuvenco in prologo v. 10. *Minciades* dicitur. Non Eusebii[3] tantum, sed omnium facile iudicio, ἐξοχώτατος τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποιητῶν, *princeps poëtarum latinorum*. Augusto Imp. et Maecenati carissimus, obiit Brundusii XVIII. Kal. Oct. C. Sentio Saturnino et Q. Lucretio Cinna Vespillone Coss. a. U. 735. ante C. N. 19. aetatis 51.[4] Effigies et sepulcrum poëtae apud

1 Martial. XII, 68.

2 Eadem civitas *Tassum* quoque postea, poëtarum Italicorum principem, protulit.

3 Cap. 19. Orat. Constantini in Sanctorum coetum.

4 Plinius XIV. 1. a Virgilii obitu ait XC. agi annos. Scripsit autem sexto Consulatu Titi a. U. C. 830.

Iul. Caesarem Capaccium in antiquitatibus Campaniae p. 20. sq. T. IX. parte 3. thesauri Italiae: cui iungendus Scipio Mazzella de situ et antiquitatibus Puteolorum c. 30. p. 87. sqq. id. parte 4. et Io. Bapt. Ferretus in Musis lapidariis II. 22. p. 115. Olaus Wormius in Museo Amst. 1555. f. p. 162. *In agro Neapolitano mons celebris exstat Pausilypus,*[1] *ad cuius ferme radicem, qua urbem spectat Neapolitanam, sacellum visitur D. Virginii sacrum, iuxta quod sepulcrum Virgilii Maronis, poëtae istius incomparabilis, hac inscriptione*[2] *insigne:*

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Hunc eius tumulum inumbrat annosa laurus, cuius cum tria teneam folia, hic praetereunda minime videntur: ita tamen, ut cum vulgaribus lauri foliis nihil discrepent, de iis uberior non instituatur discursus. Nathan vero Chytraeus in deliciis itinerum, Herbornae primum a. 1594. editis, et 1599. 8. recusis pag. 70. *Virgilii sepulcrum supra aditum sive introitum cryptae Puteolanae, per montem Pausilypum itinerum gratia actae, olim conspiciebatur: nunc hi versiculi recens candido marmori insculpti ibidem leguntur:*

1 Quasi dicas *requiem a moerore.* Vide notata ad Dion. Cassii pag. 537. De specu Virgiliano, Neapoli vicino, haec Carol. le Brün, itinere in Aegyptum etc. pag. 11. versionis, quae e Belgico Gallice prodiit: *de Naples je me rendis à Pouzzol. En faisant ce chemin, on passe premiérement par la grotte de Virgile, environ un quart de lieue de long: au milieu elle est tout à fait obscure*, etc.

2 Eadem est quae refertur a Probo et Donato in poëtae vita, et ab S. Hieronymo in Chronico.

Qui cineres? tumuli haec vestigia: conditur olim
Ille hoc, qui cecinit pascua, rura, duces.

Epitaphium aliud eius hoc refertur apud Io. Mabillonium Tom. I. Musei Ital. pag. 113. SISTITE. VIATORES. QUAESO. PAUCA. LEGITE. HIC. MARO. SITUS. EST. Vide etiam, quae idem vir doctus p. 207. narrat de statua Virgilii a duce belli Mantuani Carolo de Malatestis Mantuae eversa circa a. 1450. In quem invectivam hoc nomine scripsit Petr. Paul. *Vergerius*, de qua v. Apost. *Zeni* Diss. I. Voss. p. 56. ubi et de variis eius edd. et vero auctore. Add. *Mehus* in Vita Leon. Aretini praefixa epistolis eius p. XXXVIII. nam et Aretinus talem invectivam scripsit, quam vide in Schelhornii Amoen. lit. Tom. III. p. 225. sq. item *Guarinus* Veronensis, editam ab Edm. Martene Tom. III. novae Coll. monum. p. 868. *Vergilium* potius (Suidae Οὐεργίλιον, Malalae Βεργίλλιον) quam *Virgilium* scribendum esse, antiquis quibusdam monumentis et Codicibus inducti contendunt Politianus libro V. Epist. pag. 165. 171. seq. et Miscellaneorum capite 77. atque Coelius Rhodiginus lib. VII. antiq. Lect. cap. 4. quibus assentitur Io. Faber de Werde in carmine de literatura nominis Vergilii, quod Lipsiae in 4. sine anni notatione excusum evolvit Christ. Schoetgenius. His a *verendo*, quasi Parthenias, vel a *vergiliis* stellis nomen poëtae derivatur. Vide Arnoldum Pontacum ad Eusebii Chron. p. 492. et Iosephi Castalionis varias lect. cap. 50. Tom. I. miscellaneor. Roberti Gaudentii. Sed longe plura sunt et potiora, quae permove-

runt Pierium Valerianum in IV. ult. Georgic. Sebastianum Corradum in Virgilii vita, Taubmanni etiam Virgilio praemissa, Aldum Manutium in Orthographia pag. 783. seq. aliosque, ut *Virgilium*, (Claudiano et Steph. Byz. *Βιργίλιον*) dicendum esse, sicut communis et receptus usus fert, iudicarent, sive nomen illud pluribus etiam ante poëtam commune a *virore*, sive a *virginitate*, (unde idem [1] *Parthenias*) sive a *virga laurea* [2] denique petitum ponamus ex sententia Calvi veteris poëtae: *et vates cui denique memorabile nomen laurea.* Nullarum porro frequentior permutatio literarum quam E et I in Latinis monumentis observatur: cuius rei exempla complura vide, si placet, apud Gudium ad Phaedri lib. I. fab. 26. Sirmondum Tom. I. p. 873. seq. 881. 889. et T. IV. p. 589. Sponium Misc. p. 88. 91. Norisii Cenotaph. Pisan. 475. etc.

Vitam Virgilii scripsit praeter *Phocam* Grammaticum in Catalectis poëtarum, et *Probum*, *Ti. Claudius Donatus* [3] ad filium Ti. Claudianum Maximum Donatianum, cui merito plurimum tribuit P. *Catrou*, S. I. qui eam metaphrasi Gallicae eclogarum nuper subiunxit. E recentioribus non omittendus Sebastianus *Corradus*, et qui vitam poëtae, per Consules digestam, Virgilii editioni in usum ser. Delphini adornatae praemisit Carolus *Ruaeus*. Virgilium Graecas literas, Medicinam

1 Vide Huetiana pag. 127.

2 Laureum ramum enixam se somniavit Maia mater.

3 Cum Ioan. Frid. Gronovii notis praemittitur Virgilio Masvici.

et Mathematicas disciplinas *Cremonae* edoctum, qui aiunt, etiamnum in illa urbe monstrant aedes in S. Bartholomaei vico, quas inhabitasse poëtam ferunt.[1] Et Gualterus Burlaeus in libello de vita et moribus Philosophorum et Poëtarum, excuso ante ducentos annos, Virgilium Cremonae studiis eruditum, deinde *sumta toga Magisterii*, Mediolanum ivisse memorat.[2] Quae si vera admittimus, fidem habebimus etiam Alexandro Abbati Celesini Monasterii, qui lib. III. de rebus gestis Rogerii Siciliae regis pag. 120. scribit, Virgilium *Neapolis* dominium habuisse,[3] et ibi ingens volumen hexametris versibus composuisse: et pag. 127. meruisse ab Augusto Neapolitanae urbis et simul provinciae Calabriae dominatum pro duobus, quos scripserit, versibus:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:
Divisum imperium cum Iove Caesar habet.

Rusticus (Episcopus Narbonensis, an alius) Epistola ad Eucherium Lugdunensem, quam edidit Sirmondus ad Sidonium T. I. Opp. pag. 900. refert, in bibliotheca quadam inter variorum Oratorum et Poëtarum imagines, Epigrammatis ornatas, Virgilio, *praeiudicati eloquii poëtae*, hos versus subiectos:

Virgilium vatem melius sua carmina laudant.
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae

1 Cremona literata Tom. II. p. 401.

2 Conf. Christoph. Aug. Heumanni Acta Philosophorum, Parte XVI. pag. 604.

3 Petr. Burmannus praefat. ad Tom I. thesauri scriptorum Siciliae.

Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

Notum et Augusto tributum carmen in Virgil. *laudetur, vigeat, placeat, relegatur; ametur.* Adde Baluzii notas ad Cyprianum p. 148. Praeter alias virtutes et artificium carminis, in Virgilio proprietatem sermonis Latini admiratos etiam veteres accepimus. Unde Ausonius Epist. XVII. ad Symmachum: *quis ita ad opulentiam Tullianam aut proprietatem nostri Maronis accedat?* Iuris Pontificii peritissimum fuisse Virgilium, multis disputat Macrobius libro III. Saturn. c. 1. nec minus callentem Iuris Civilis, Erhardus Reuschius, Professor Helmstadiensis in disquisitione de P. Virgilio Marone Iurisconsulto ad Eclog. III. 17-24. Helmst. 1728. 4. Ennodio libr. I. Epist. 18. ad Avienum, *Doctorum radix Maro, vestri formator eloquii.* Augustino X. 1. de Civitate Dei, *Latini eloquii magnus auctor.* Hildeberto Cenomanensi lib. I. Epist. 12. ad Henricum I. Angliae regem, *Poëtarum doctissimus.* Alexandro Severo Imp. apud Spartian. c. 31. *Plato poëtarum.* Quintiliano VIII. 3. *acerrimi iudicii.* Macrobio denique iudice *talis, qui nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur.*

BUCOLICA.

Exstant eius *Bucolica* sive *Eclogae X.* scriptae inter an. U. C. 713. et 716. de quibus credat, qui volet, Tib. Donato ita scribenti: *Cur non plures quam decem Eclogas conscripserit Virgilius, nequa-*

quam mirandum videbitur ei, qui consideraverit varietatem scenarum pastoralium, quae ultra hunc numerum proferri non potest. Unde dictae *Eclogae*, docet Camerarius ad Cic. Tusc. pag. 121. Nomina Eclogarum haec sunt:

1. *Tityrus*, in qua versum 18. *saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix*, non habent codices perantiqui, nec editiones antiquissimae. Vide Dominicum de Colonia T. II. hist. lit. Lugduni p. 759. et Burm. ad h. l.

2. *Alexis*, nomen pueri; Virgilio a Maecenate donati. Martial. V. 16.

3. *Palaemon.*

4. *Pollio:* quae Ecloga scripta est anno U. C. 713. cum filius Asinius Gallus C. Asinio Pollioni Consuli iam designato natus esset. Itaque de Consulatu tanquam futuro loquitur:

Teque adeo decus hoc aevi, te Consule inibit,
Pollio, et incipient *magni procedere menses.*
Te duce, si qua manent, etc.

Asconius quoque Pedianus apud Servium refert, ex ipso Asinio Gallo, Salonini fratre, filio Pollionis se audiisse, quod hanc Eclogam in ipsius laudem Poëta scripsisset. Unde apparet, a Virgilii sententia alienam esse, utcunque doctam atque ingeniosam viri egregii coniecturam, qui in Memoriis literariis Trivultinis sive Dombensibus a. 1703. mense Ian. pag. 8. seq. Virgilium existimat Eclogam composuisse in honorem Drusi Tiberii F. quod cum chronologia pugnare docet, et Druso Marcellum substituit Catrou ad Ecl. IV. Pol-

lionem Maronis Badius Ascensius accepit de Marcello Octavio, Augusti sororis filio, nato anno U. C. 714. Neque minus a Poëtae sententia aberrarunt Eusebius lib. I. praeparat. Evangel. et Orat. ad Sanctorum coetum cap. 19. S. Augustinus X. 27. de C. D. et in Rom. 1. et Epist. 258. S. Prosper 3. de promissionibus, et auctor Homiliae ad Catechumenos contra Iudaeos, Paganos et Arianos, aliique hos insecuti,[1] qui de Christi salutificato-

[1] Marsilius Ficinus c. 24. de veritate religionis Christianae, Rich. Montacutius pag. 130. sq. Apparatus ad Origines Ecclesiasticas, Isaacus Vossius de Sibyllinis oraculis cap. 5. Beveregius Codice canonum vindicato pag. 145. Dan. Heinsius proleg. ad Aristarch. sacrum pag. 670. edit. in fol. multique alii. Paulus Sherlogus in dioptra antiquitatum Hebraic. lib. I. Diss. 4. p. 175. *Hoc Virgilii metrum eum Marcellianus orator eloquentissimus Secundiano et Veriano interpretatus fuisset de Salvatoris ortu ex immaculata genitrice, et germanam hanc esse constructionem probasset, a paganismo ad fidem conversi eum eodem Marcelliano fortiter pro Christo martyrium subiere, ut habet Kalendarium Romanum nona Augusti die.* Haec ille e Vincentii speculo histor. XI. 50. cui miror tanquam narrationem seriam adiungi a Theodoro Zwingero T. I. theatri Vitae hum. p. 1143. et Balth. Bonifacio XV. 7. histor. ludicrae, quod in poëmate de purgatorio carmin. 21. seq. commentus est Dantes, Statium poëtam ad Christi sacra amplectenda permotum esse his Maronis versibus: *Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna.* Io. Vulpius praef. ad Sannazarii Opera recusa Patavii 1719. *Cum Aegidium Viterbiensem, Augustinianae familiae monachum improbos homines acerrima concione obiurgantem audisset, ac nescio quo Virgilii versiculo, quo ille opportune ad faciendam fidem usus erat, mirabiliter se adfici sensisset Sannazarius, egregium illud de partu Virginis poëma inchoavit, quod omnium seculorum posteritas admirabitur.* De Marcelliano Oratore per lectionem Eclogae huius Virgilianae ad Christianam fidem converso vid. Acta Sanct. Iunii Tom. I. pag. 37. Vide etiam, si placet, rhythmos vett. germanicos, quos refert Ioan. Conr. Dietericus in prolegomenis ad Antiquitates biblicas T. V. p. 21. et Dieter. von Stade in Specimine Otfridiano p. 34. additis notis. Porro Virgilium in hac Ecloga de Christo non loqui, iam observarunt Io. Henr. Boeclerus in exercit. de vero sen-

ris nostri adventu praeclara cecinisse Poëtam, et e Sibyllino carmine hausisse sibi persuadent.

5. *Daphnis.*

6. *Silenus:* quam perinde ut Pollionem ac Gallum bucolicas eclogas proprie esse negat Servius. Hanc Eclogam a Cicerone auditam narrat Ti. Donatus, illumque admirabundum exclamasse: *Magnae spes altera Romae.* Sed videtur Cicero iam interfectus esse ante quam hanc Eclogam scriberet Virgilius. Vide, si lubet, Vavassorem de ludicra dictione, pag. 122. seq.

7. *Meliboeus.*

su illius Eclogae, quae legitur Tom. II. Dissert. eius Academ. iunctim nuper recusarum Argentor. pag. 287. sq. et Frid. Bened. Carpzovius, tum admodum adolescens, singularibus Exercitationibus, August. item Buchnerus in Oratione de hoc argumento, Conr. Sam. Schurzfleischius in controversiis Antiqq. Eccles. pag. 297. sq. ut alios omittam. Per *Cumaeum carmen* Hesiodum potius, quam Sibyllina, respici a poëta, recte notavit Probus, ut disputavi lib. I. Bibl. Graecae cap. 30. n. 14. Sane qui Virgilium de Salvatore nostro illa cecinisse sibi persuaserit, idem fidem quoque habeat Lucae Tudensi, qui lib. I. contra Albigenses (Tom. XXV. Bibl. Patrum edit. Lugd. p. 210.) miratur in Virgilio etiam legi de precibus et meritis Sanctorum, quibus defunctos adiuvent, quoniam nempe poëta scripserat VI. Aen. 664. *quique sui memores alios fecere merendo*: vel ut recentioris scriptoris hariolationes in medium afferam, idem assentiatur Abbati Faydito, qui in Obss. in Virgilium et Homerum ac de stilo Scripturae S. gallice editis p. 152. sq. contendit, dogma de SS. Trinitate a Virgilio tradi Ecloga VIII. 73. sq.

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque haec altaria circum
Effigiem duco, numero Deus impare gaudet.

haustum scilicet e scriptis Platonis: et mortem Christi, obscuratumque illo mortuo Solem

Sol tibi signa dabit etc.

describi Georg. I. 463. seq. Vid. Rich. Simonis Bibl. Crit. Tom. II. c. 32. et Tom. I. c. 31. Virgilii Eclogam pro testimonio veritatis Christianae laudavit etiam H. Newtonus Ep. 39. Vide sis etiam Surium ad IX. August. p. 605.

8. *Pharmaceutria:* ex qua ansam petiere nugivenduli ridicula quaedam de magia Virgilii comminiscendi. Vide, si placet, Naudaeum in Apologia pro Magis, Gallice plus simplici vice, et nuper Germanice vulgata, c. XVII. et Baelii Lexicon in *Virgile*, nota (E.) Bergierium de viis Rom. Tom. X. Antiq. Rom. p. 164. 689. Adde vitam S. Guilelmi[1] in Actis Sanctor. Tom. V. Iun. 25. nec non Naudaeana p. 89. ubi mentio montis Pausilypi, quem magica arte sua divisisse medium, Virgilium nugantur. Petrarcham quoque detulere, ut magum, aliqui apud Innocentium VI. Papam,[2] adiunxeruntque causam criminationis, quod Maronis carmina diligenter lectitaret.

9. *Moeris.*

10. *Gallus.*

Ludovici Vivis in Bucolica notae, quibus allegorias removet, et sensum poëtae historicum rimatur, recusae sunt Tomo I. Operum eruditissimi illius Hispani pag. 640. sq. Lectu etiam dignae Galli scriptoris Dissertationes quatuor non ita pridem editae hoc titulo: *Dissertations sur la Poësie Pastorale ou de l'Idylle et de l'Eclogue par M. l'Abbé Genest.* Paris. 1707. 12. et acutissimi Fontenelle *Dissertation sur l'Eclogue:* scriptum plus simplici vice cum eius aliis lucubrationibus excusum, in quo nonnulla in Theocrito notat et Virgilio. *Reflexions sur l'Eclogue, par Mr. Roi*, in eius Opusculis iunctim editis Paris. 1727. et *Oeu-*

1 Memoires de Trevoux 1711. p. 380.

2 Papyrius Massonus in Petrarchae vita, Tom. II. elog. p. 124.

*vres mêlées de Mr.*** contenant un discours sur la fin qu'a eu Virgile en composant ses Bucoliques, une traduction de ses Eclogues en vers François, un autre discours sur les regles de l'Eclogue, avec des paraphrases en vers sur des Pseaumes de David et sur quelques chapitres des proverbes de Salomon.* Paris. 1732. 12. Antibucolica scripserat obscurus quidam Virgilio-mastix, hoc est, duas Eclogas Virgilii insulsissime παρῳδηθείσας, cuius utriusque initium Donatus auctor vitae memorat. Eclogas piscatorias primus pauxit Latine quidem, cui vix quisquam post Virgilium praeponendus, Iac. Sannazarius: [1] Italice Bernardinus Rota, Neapolitanus, et Sannazarii interpres [2] Vincentius Riccardus: Germanice Bronnerus.

GEORGICA.

Georgica, C. Cilnio Maecenati [3] inscripta, *libris IV.* quibus, ut ait Columella, *agricolationem fecit carmine potentem*. Tetrastichon argumenti loco, sive quatuor versus hexametros singulis libris praemisit *Modestinus* Ictus, quos *emendatissimos poëtae maximi*, Lactantius II. 4. appellat. Argumentum de hortorum cultura, quod Virgilius praetermisit, (cf. si placet, Plinium praefat. libri XIV.) occupavit postea *Columella*: et nostra memoria *Renatus Rapinus* libris IV. hortorum, *Iaco-*

1 Raccolta d'Oposcoli scientifici e filologici Tom. V. p. 238. 254.

2 Id. Tom. VI. p. 141. sqq.

3 Maecenatis iussu suscepisse hoc opus testatur Poëta III. 40. *Interea Dryadum silvas saltusque sequamur Intactos, tua, Maecenas, haud mollia iussa.*

bus Vanierius in praedio rustico, atque *Iac. Delille* in carmine Gallico *les Jardins.* non sane infeliciter. Ineditus Ant. Maioragii in Georgica Commentarius fuit in Bibl. Marqu. Gudii. Gnifonis et aliorum veterum commentarii non tulerunt aetatem.

Georgicorum scriptores veteres deperditos bene multos, qui Graece maxime de re rustica scripserunt, referunt Varro, Columella, Plinius, Athenaeus, et Geoponicon auctor: plures collegit Fulvius Ursinus in Virgilio cum Graecis scriptoribus collato pag. 82. sq. e quo illos hoc loco commemorare iuvat. „Fuerunt itaque *Aeschrion*. *Agathocles* Chius, *Amphilochius* Atheniensis, *Anaxipolis* Thasius, *Androtion*, cuius meminit Theophrastus lib. περὶ φυτῶν ἱστορίας, et Athenaeus lib. III. *Antigonus* Cymaeus sive Cumanus, *Apollodorus* Lemnius, cuius fit mentio apud Aristotelem in Politicis et Plinium lib. VIII. *Apollonius* Pergamenus, *Archytas* Tarentinus Pythagoreus, quamvis alium Archytam Diogenes Laërtius refert Georgica scripsisse, non Tarentinum illum, qui Pythagoram secutus est; *Aristomenes*. *Aristophanes* Mallotes, sive, ut est apud Plinium, Milesius; *Aristander* Atheniensis, *Aristoteles* Peripateticus, *Athenagoras*. *Attalus* Philometor, *Bacchius* Milesius, *Bion* Solensis, *Chaereas* Atheniensis, *Chaeresteus* Atheniensis vel *Chaeristus*. si Plinium sequamur, quem tamen *Chrestum Euphronis* appellare videtur Columella libr. I. *Crates*. *Democritus* Abderites Physicus, quem περὶ γεωργίας librum edidisse testatur etiam Laërtius; *Diodorus* Prienaeus,

Dion Colophonius, *Dionysius περὶ φυτῶν*, sive, ut Petrus Victorius emendavit, *Euphyton: Diophanes* Nicaeensis, *Diophanes* Bithynicus, cuius epitomen Georgicorum *Dionysii* Uticensis citat etiam Plinius. *Epicharmus* Siculus, *Epigenes* Rhodius, *Evagon* Thasius, quem Plinius alibi *Evagoram* nominat; *Eubolus*, qui Columellae et Plinio *Cleobolus*, ego vero *Eubulus* malim; *Euphorion*. *Euphron*. *Euphronius* Atheniensis, *Euphronius* Amphipolites, *Hegesias* Maronites, mendose enim legitur apud Varronem *Aegesias: Hieron* Siculus, *Hostilii Sasernae* pater et filius, *Incertus auctor περὶ βουγονίας*, *Lysimachus*. *Mago* Carthaginiensis a *Dionysio* Uticensi conversus Graece, *Menander* Priénaeus, *Menander* Heracleotes, *Menecrates* Ephesius poëta, quem de apibus scripsisse, intelligere possumus ex Varrone lib. III. cuius etiam meminit Nicandri interpres; *Menestratus*. *Mnaseas* Milesius, *Nicesius* Maronites, vel ut ego puto, *Hicesius*, cuius fit mentio apud Athenaeum et Plinium lib. XV. *Oades*, qui *Dadis* appellatur a Columella, eamque scripturam probat Petrus Victorius; *Persis*, vel ut alii, *Perseus*, mihi tamen placeret *Perses: Pleutiphanes*. *Pythion* Rhodius, *Xenophon* Socraticus, et (latinus scriptor) *Tremellius Scrofa*. Haec ex M. Varrone, et Columella. *Orpheum* etiam *τὰ γεωργικὰ* cecinisse, eumque libellum *ἔργα* et *ἡμέρας* inscriptum fuisse, auctor est Isaacus Tzetzes in suis in Hesiodum commentariis, qui nonnullos etiam ex eo opere versus profert. Sed et alibi idem eruditus Grammaticus Or-

phei Georgicorum meminit. Videant autem docti, sit necne opus illud Orpheo tribuendum, cum nullum fuisse Orpheum Aristoteles et eum secutus M. Tullius existimarint. *Nicandrum* quoque Colophonium de rebus rusticis non rustica praeclare scripsisse testatur Cicero de Oratore libro I. c. 16. et Athenaeus libro III. qui eiusdem τὰ μελισσουργικὰ lib. II. adducit, quae fortasse Virgilius expressit in IV. Georgicorum. *Phaniam* etiam Eresium ἐν τῷ περὶ φυτῶν, *Antiphontem*, *Dorionem* et *Aeschylidem* ἐν τοῖς γεωργικοῖς idem Athenaeus citat libro III. XII. et XIV. *Neoptolemi* praeterea, *Aristomachi* et *Philisti* ἐν τοῖς μελισσουργικοῖς meminit Plinius. *Pythoclis* Samii ἐν τρίτῳ γεωργικῶν Plutarchus; *Chrysippi*, *Pamphili* et *Paxami* ἐν γεωργικοῖς Laërtius et Suidas: et *Oppii* (latini scriptoris) *de silvestribus arboribus*, Macrobius. Quem igitur e tot Georgicorum scriptoribus sit potissimum secutus Virgilius, quaerendum non est, cum ipse Hesiodum se Ascraeum secutum esse fateatur, cum cecinit:

Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.

Quin tamen ex aliis quoque auctoribus, praesertim iis, qui desiderantur, nonnulla sit mutuatus, nullo modo dubitari potest: nam et res ipsa loquitur, et a Plinio, Quintiliano, ac Macrobio traditum est. Servius etiam, optimus inprimis Grammaticus, multa Virgilium e Magone Afro, Xenophontis et Ciceronis Oeconomicis[1] sumsisse tradit. " Hactenus Fulvius Ursinus. Praeter Co-

1 Probus etiam e *Varrone*.

lumellae, Rapini et Vanierii poëmata ad rem hortensem ornandam et supplenda Maronis Georgica faciunt *Io. Ioviani Pontani* horti Hesperidum de cultu pomorum citreorum: *Cossartii* et *Spinelli* de palma, atque eiusdem Spinelli de olea et cedro: *Petri Rufi*, Carnotensis, Odae de cultura malorum citreorum aureorumque, in Vignolii Marvillii Tom. III. Miscellan. p. 185. sq. nec non *Thomae Ravasini* Parmensis carmina de pratis, fico et vite: *Ludovici Alemanni* poëma Italicum ante paucos annos recusum Patavii, cui titulus *La Coltivazione;* nec non *Io. Rucellaii* de apibus suavissimum carmen.

AENEIS.

Aeneidos libri XII.[1] Poëma illud heroicum elegantissimum atque incomparabile, cui Virgilius duodecim annos (uti Georgicis annos septem, et Bucolicis tres) impendisse traditur, tametsi nec sic auctoris, a quo paulo ante obitum flammis paene traditum fuisset, ultimam manum[2] est ex-

1 Servius in VI. Aeneid. pag. 457. *Qui bene considerant, inveniunt omnem Romanam historiam ab Aeneae adventu usque ad sua tempora celebrasse Virgilium, quod ideo latet, quia confusus est ordo. — Unde etiam in antiquis invenimus opus hoc appellatum esse non Aeneidem, sed* gesta populi Rom. *quod ideo mutatum est, quia nomen non a parte, sed a toto debet dari.*

2 Abbas Urspergensis in Chron. p. 51. *Varius et Tucca Virgilii et Horatii contubernales poëtae habentur illustres, qui libros Aeneidum postea emendandos susceperunt ab Augusto, ea lege, ut nihil de suo adderent.* Ex Servio in principio Aeneidos, qui hanc legem fuisse ait propositam, *ut superflua demerent, nihil adderent tamen.* Aeneida opus admirabile nimirum tanquam non satis emendatum oderat moriens Virgilius, et testamento praeceperat incendi. Itaque Plinius VII. hist. nat. c. 30. divina

pertum. Imperfectum quoque poëma nonnullis est visum, atque extremum librum desiderari: unde *decimum tertium librum* conscripsit haud absurda vena[1] *Mapheus Vegius* Laudensis, qui in Pulmannianis, et Nic. Erythraei editionibus, atque aliis quibusdam legitur. Sic *Io. Forestus*, in supremo Reip. Belgicae senatu Consiliarius, in supplementum operis Virgiliani composuit exsequias Turni, laudatus Nic. Heinsio Epistola ad Is. Vossium data a. 1551. T. III. sylloges Burmannianae pag. 599. Sed et in Francia *C. S. de Villanova* Ducis Aurelianensis Archi-triclinarcha Paris. 1698. 8. librum supplementi in Aeneidem edere ausus est cum interpretatione sua, paraphrasi et notis; nec dubitavit nomen suum carmini ipsi intexere vers. 215.

Villanovas quondam meritum affectabit honorem.

Versus imperfectos in Aeneide additis hemistichiis supplevit Ioannes de Peyrarede, nobilis Aquitanus. Argumenta singulorum librorum Georgicorum et Aeneidos, versibus olim scripsit *Herennius Modestinus* Ictus, quae in pluribus editionibus ante singulos libros praemittuntur. De Aeneidos parte in Graecum versa est apud Hug. Grotium Epist. 576. ad Gallum Voisin. Commentarii *Annaei Cornuti* et aliorum veterum in Aeneidem, uti *Carvilii Pictoris* Aeneomastix, diu est, quod

Augustum ait carmiua illius cremari *contra testamenti eius verecundiam* vetuisse. Meminit huius rei Gellius XVII. 10. et ex eo Macrobius I. Saturnal. c. 24.

1 De hoc Mapheo Vegio consulendae Additiones ad Naudaeana pag. 194. sq. Diem obiit supremum A. C. 1458. Adde de libro Decembr. Polit. liter. p. 67.

perierunt. Versus quatuor primo Aeneidos praepositi, *Ille ego* etc. a Vario sublati sunt, teste Donato in vita Virgilii, et in antiquissimo Codice Mediceo desiderantur, neque videntur lecti olim Ovidio II. Trist. 543.

Et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumque toros.

Uti enim Lucretii opus a primis verbis eidem Nasoni dicitur *Aeneadum genetrix*, ita hoc loco per *arma virumque* Aeneidem ab initio primi versiculi denotavit. E secundo Aeneidos sustulere quidam versus 22. ante versum, *cum mihi se non ante oculis* etc. narrat, sed reponere iubet Decembrius Polit. lit. p. 82. sq. Plinius VII. 30. hist. *Divus Augustus carmina* (Aeneidem) *Virgilii cremari contra testamenti eius verecundiam vetuit.* Cf. Donatum in Poëtae vita, Macrobium lib. I. Saturnal. c. 24. et versus sub Augusti nomine ferri solitos, quorum initium:

Ergone supremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas, etc.

Io. Henr. Boeclerus in calce notarum ad Aeneidem pag. 166. *Et sic absolutum est opus Virgilianum, cui nihil addi, nec demi potest. Unde magnam famae suae fecit iacturam* Maffeus Vegius *Laudensis, qui librum unum adhuc ei adiunxit de sepultura Turni et nuptiis Aeneae. Decore enim finivit opus suum Virgilius caede Turni, requirente id πραγματείᾳ operis Epici, quod ad modum Tragoediae debet confici. Alterum autem foedius crimen commisit idem Maffeus Italus, quod non veritus est comparare*

versus suos cum Virgilianis. Utut enim non sint aspernandi, ipseque diligenter Virgilium imitetur, immo tota hemistichia sublegat, genius tamen contextus est humillimi ingenii, si cum Virgilio conferas. — Sic etiam ineptus ille, qui Argenidem Barclaii continuare est ausus. *Iosephi Seizii* clavis anterioris Aeneidos, itinera Aeneae notis et tabulis reserans, lucem vidit Halae Suev. 1657. 4. *Christoph. Landini* Allegoriae in libros Aeneidos, Basil. 1577. fol. *Fulgentius*, qui *de continentia* seu argumento *Virgiliani poëmatis* allegorice expositi libellum scripsit, Chalcidii aequalis fuit, adeoque sub initia quarti a C. n. seculi vixit, Cordubae an alibi, Christianus, (ut videtur) an alienus a nostris sacris, non plane exploratum. Ceterum titulo libelli sui imitatus est *L. Calpurnii Pisonis libros duos de continentia veterum Poëtarum*, nec dum, quod mirum dolendumque est, in lucem editos, ex quibus fragmenta quaedam affert Paul. Merula in Comment. ad Ennii fragmenta: de ipso autem Pisone haec scribit in Ennii vita p. 15. sq. quae hoc loco apponam, si forte possim aliquem permovere ad Codicem illum Ms. perquirendum, et in dias luminis auras protrahendum: *L. Calpurnius Piso V. C. (sic enim exaratum erat eius nomen in scripto exemplari) fuit forte, si coniecturae locus, nepos istius Calpurnii L. F. L. N. Pisonis, qui cum Nerone Claudio Caesare Augusto secundum Consulatum gessit anno ab U. C. 810. Vixit sub Traiano, coaetaneus C. Plinio Caecilio Secundo, M. Valerio Messalae, Ser. Sulpicio Camerino, C. Bellicio Torquato, et poëtis*

aliis, qui id temporis in Republica Romana clari et magni. Consul videtur fuisse ordinarius cum Vettio Rustico Bolano, anno ab U. C. 863. Hic praeter ἐρωτοπαίγνιον, quod mire extollit Plinius lib. I. Epist. 17. scripsit Veterum Poëtarum continentiam: *quem postea imitatus* Fulgentius Planciades *fecit* continentiam Virgilianam. *Hic paulo attentius Virgilium describere conatus est, quam Calpurnius, cui cum Virgilio plures erant discutiendi. Calpurnii certe elegantior et succinctior stilus, quam Fulgentii, et maius quid ille quam hic dare mihi visus. Haec eius Continentia, vox haec συνέχεια Graecis,* Parisiis, *ubi esse indicarat mihi olim N. V. Wolfgangus Zindelinus, quo Germanorum Principum nomine Venetiis agente familiariter sum usus, servatur* in Bibliotheca S. Victoris; *utinam religiosius! timeo enim illi a plagio: novi quorundam Criticorum mores. Coniuncta erat cum Lucano Ms. cui suae ad marginem adiectae notae, rei non magnae. Ego admittente armariis praefecto, homine perhumano, vidi, triduum (amplius non poteram propter subitum ex Galliis in Angliam, vocante vento, discessum) eius lectioni impendi, et enotavi quae in H. Stephani editione desiderabantur, nonnullorum Poëtarum fragmenta, multa quae iam edita supplens et emendans. Inscriptio erat:* L. Calpurnii L. F. Pisonis V. C. de Continentia Veterum Poëtarum ad Traianum Principem liber I. feliciter incipit, *rei, ut mihi visum, quam moliebatur auctor, parum conveniens, et nescio an ab ipso auctore. Calpurnius enim ibi erudite notabat, quae in Poëtis notanda, quae minus: id est, digito quasi indicabat,*

praemissis, quibus universim Poëtarum commendabat imitationem, nominans quosdam sui aevi Poëtas, libro primo virtutes, secundo vitia. *Ut brevibus dicam, et priore et posteriore libro committebat, quasi is illi fuisset scopus, magno iudicio inter se modo Poëtas veteres, modo novos* (Caninium, Octavium, Sulpicium, Secundum, Scantinium, Sextilium, Gallonium, Fabianum) *nunc novos cum veteribus, nunc hos cum illis, interdum Poëtas cum Oratoribus. Aliquando his, illis nonnunquam, saepe utrisque praetoriam illam mappam mittens, praecipue ut subodorabar ἐν τοῖς σχήμασι καὶ λέξεως καὶ διανοίας, quod cuivis facile erit videre, si lucem videre contingat aliquando scriptori doctissimo et lectionis multae.* Haec Merula. Affertur etiam locus ex isthoc Calpurnii libro Ms. in Iani Dousae notis ad fragmenta Lucilii pag. 106. — De Fulgentii libello et eius argumento alibi dicetur.

De Servio, Iunio Philargyrio, Val. Probo, et Tib. Donato.

Interpretes Virgilii veteres multi fuere. Eorum, qui adhuc exstant, princeps est *Servius*, in cuius nomine toto non consentiunt libri. In edd. fere dicitur *Servius Maurus Honoratus:* in opusculis eius, a Putschio editis, *S. Marius Hon.* in aliis edd. *Marius Servius Honoratus:* in edd. Rob. Stephani, Iuntae, et P. Danielis, *Maurus Servius Hon.* in Ms. Paris. *Servius Honoratus.*

Servius in Virgilium allegatur a Graeco scriptore Ioanne Malela pag. 206. et 229. καθὰ Βεργίλλιος,

ὁ σοφὸς Ῥωμαίων ποιητὴς, συνεγράψατο. ὁ δὲ σοφώτατος Σέρβιος ὁ Ῥωμαῖος ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασιν ἐξέθετο, εἰπὼν, ὅτι μετὰ τὸ τελευτῆσαι τὸν Αἰνείαν, κ. τ. λ. Commentarios in Virgilium, qui est verus operis titulus, auctore Prisciano L. VI. 698. 711. L. X. pag. 589. respicit etiam, Servium laudans, Lupus Ferrariensis Epist. XV. Servius *Magister Urbis* dicitur ab Acrone ad Horatii lib. I. Sat. 9. 78. Valentiniani Imp. temporibus scripsisse notat *Io. Andr. Bosius* de Pontifice maximo Romae veteris cap. IX. §. 9. atque patet e Macrobio, qui sub Honorio et Theodosio Praepositus sacri cubiculi fuit, et Servium in Saturnalibus suis inter confabulatores convivasque Praetextati aetate provectiores inducit, quasi literatorum omnium longe maximum doctissimumque doctorem. Et lib. VI. cap. 6. *quotidie enim Romanae indoli enarrando eundem vatem* (Virgilium) *necesse est habeat huius annotationis sententiam promtiorem.*

Servium, multi viri docti iam notarunt, farraginem esse non modo ex antiquioribus commentariis, Alexandri, Aspri, Capri, Carminii, Celsi, Hygini, aliorumque: sed etiam ex Cornuti, Donati et Probi, qui nominatim ab eo commemorantur. Quandoque etiam Commentarii citantur, nullo addito nomine auctoris, ut in I. Georg. 147. *superfluam enim quaestionem movent quidam commentarii.* Etiam Servius ipse allegatur ad Eclog. IX. 1. *et haec ecloga continuum. ut ait Servius, non habet carmen, sed de diversis locis Theocriti aliqua ad eam contulit.* Sic enim est in editio-

ne Petri Danielis. Sed in ed. Rob. Stephani, et aliis, quas Masvicius secutus est, Servii nomen est omissum, ut et in Burmanniana.

Alter Scholiastes antiquus est *Iunius Philargyrius* in *Bucolica et Georgica*. Barthius Advers. XIX. 2. malit *Philargurum*, ex Inscr. antiquis tesserarum apud Pignorium, appellari. Sed ea est forma graeca et scriptura antiquior, nil discrepans ab hac vulgari, cuius et exempla alia reperiuntur, ut apud Isidorum Origg. I. 21.

Sequitur *M. Valerius Probus*, cuius sub nomine pariter *Scholia in Bucolica et Georgica* exstant. Memorantur autem plures Probi Grammatici: in his clarissimi duo, alter Neronis aetate, alter Hadriani, qui in Virgilium scripserint; vid. Gell. IX. 9. XIII. 19. de priori, et Macrob. Sat. V. 22. ad alterum pertinere videtur vita Probi Suetoniana, eiusque sunt libri, quos sub Probi nomine habemus, ut de notis literarum; v. Pierius ad Aen. XII. 159. Haec Scholia ad neutrum pertinent, videnturque Probi nomini supposita.

Quartus interpres antiquus est *Tiber. Claudius Donatus*, diversus ab *Aelio Donato*, et eo iunior. Eius habemus primo Vitam Virgilii, quae videtur praemissa ab eo fuisse commentariis in Bucolica, qui interciderunt; deinde *Scholia in Aeneida*. In Servii commentariis citantur ex Donato, quae etiamnum in iis leguntur, qui soli aetatem tulerunt. In universis commentariis id agit potissimum, ut vim dicendi et artificium rhetoricum in singulis explanet, et simul proprietatem

vocum, delectum atque consilium, et motus, affectusque et pondus, et τὸ πρέπον morum, sive, ut Donatus appellat, *moralitatem* accurate servatam a poëta demonstret, atque egregiam inventionem a principio per totum opus decurrentem in Aeneae laudibus ad Turni usque necem perducendis. Scriptores laudat perraro et paucissimos. Libri quarti et octavi partes extremae desiderantur, et initium libri sexti in versus primores centum et duodesexaginta, et in libro duodecimo a vers. 619. ad 664. et a vers. 689. ad 756. et a vers. 780. ad 847. Expositionem suam divisit in libros duodecim, eisque tertium decimum voluit subiungere, de quo ad lib. VII. 641. Pandite nunc Helicona, Deae, cantusque movete (Qui bello exciti Reges, etc.) *Catalogus iste huic interpretationum libro non fuerat inserendus: nihil enim habet quod artificiose* (ῥητορικῶς) *posset exponi — tamen ne quid libro decerpi videatur, dicemus aliqua eius uno libro, qui tertius decimus erit, cum totius operis complexione dicturi, ut historiae per duodecim libros sparsae, et cetera, quae supra dicta non sunt, possint evidenter apparere.* In Epistola vero, quae libro duodecimo subiicitur, testatur, se illum monobiblon necdum scripsisse, atque incertum vitae dum senex metuit, cursim interim absolvisse Aeneidos interpretationem. Si suppetat longior vita, se ex commentariis veterum collecturum descriptiones singularum personarum, locorum, herbarum etiam lignorumque. Hunc si

in usum filii sui deinde elaboravit, liber ille ad nos haud pervenit. [1]

Hic commentariolus repertus est a *Io. Ioviano Pontano*, primumque editus est ex eius Bibliotheca separatim per *Scipionem Capycium* Neap. 1535. fol. primum insertus Corpori Interpretum Virgilianorum a *G. Fabricio*. Est autem hic commentariolus, ut quidem in exemplis editis est, valde mendosus: quaedam non habet, quae Servius ex eo profert. Itaque nonnulli opus hoc spurium iudicaverunt. Sed qui Codd. scriptos inspexere, plenius ibi reperiri testati sunt, ex iisque adeo multa profert Pierius in Castigg. Virgil. Vid. inpr. P. Burmannum in praef. Virgil. Burm.

Edita sunt etiam sub nomine *Pomponii Sabini* quaedam in Virgilium, velut antiqua, Scholia: quem mediae aetatis Grammaticum doctissimi quidam viri putarunt, suntque eius testimoniis usi. Sed suspecta sunt merito viris acutioribus, aetatis quidem nomine. Nam ea scholia sunt potius a viro docto huius nominis, qui sub initium renascentium literarum vixit. Primus edidit inter ceteros *G. Fabricius*. Ceterum auctorem multa a Grammaticis veteribus sumsisse, fatendum est.

CODICES quidam Msti, ac perdita veterum scripta in Virgilium, et de Virgilio nonnulla.

Tempore Gellii adhuc idiographum Virgilii ostentabatur, ad quod provocat IX. 14. Similiter

1 Hic est liber Donati, quem exstare peroptabat tantopere Barthius ad Statii XI. Thebaidos 543. Tom. III. p. 1386.

Quintil. lib. I. cap. 7. *Caussae, cassus, divissiones, quomodo et ipsum* (Ciceronem [1]) *et Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent.* Plinius XIII. 12. *Iam vero Ciceronis manus ac Divi Augusti Virgiliique saepenumero videmus.* Ad autographum Virgilii provocat quoque Valerius Probus apud Gellium XIII. 19. *Nam in primo Georgicon, quem ego librum manu ipsius Virgilii correctum legi.* Idem etiam dicit, sua aetate Codices Virgilii valde discrepasse, prope in omnibus versibus. Superest et hodie praeclarus Virgilii Codex Ms. in Bibliotheca magni Hetruriae Ducis, correctus manu Turcii Rufi Asterii Aproniani, qui Consul fuit a C. 494. Confer H. Noris ad Cenotaph. Pisan. Diss. IV. cap. 2. et Io. Mabillonium de re diplomatica p. 354. ubi specimen eiusdem et inscriptionem integram exhibet. Accuratam descriptionem Codicis illius ex Nic. Heinsii ineditis ad Virgilium Commentariis exhibet Petr. Burmannus Tom. V. sylloges Epistolarum pag. 193. seq. ubi et subscriptio *Turcii Rufi Aproniani Asterii* Bucolicis subiecta, qui Codicem illum testatur se recensuisse, et Consul fuit cum Protogene a. C. 494. unde fallitur *Paullus Gabianus*, qui varias lectiones illius edidit Brixiae, refertque ad tempora Traiani Imp. Sed iam Codicem ipsum totum habemus editum, aeneis tabulis expressum, curante *Pet. Franc. Fogginio*, Florent. 1741. 4. cum eiusdem notulis,

1 Fabula de duabus Epp. adservatis Thorunii, quas manu sua in tabulis ceratis exaraverit Cicero; refellitur Petro Iaenichio in notitia bibliothecae Thoruniensis pag. 38. seq.

item in ed. Rom. 1763. Add. *Nouveau Traité Diplom.* T. III. p. 51. sq. De Asterio isto Aproniano, qui Codicem Virgilii Mediceum emendasse dicitur, vide Tillemontium in Historia Imperatorum, in vita Iuliani cap. 18. Tom. IV. p. 981. Cum Codice illo praestantissimo Virgilii Mediceo, literis scripto uncialibus sive maioribus Romanis, forma quadrata minori, ante mille et trecentos amplius annos in membrana, Marquardus Gudius a. 1662. contulit Bucolica, (incepit ab Eclog. VI. 47.) Georgica et partem Aeneidos. Alia tria Mss. Virgilii volumina pervetusta, inque his unum, quod mille annorum esse creditur, exstant in Bibl. Vaticana. Sed de aetate Codicis omnino dissentiunt viri docti, et difficile est aliquid certi pronuntiare; v. *Nouv. Traité dipl.* T. III. p. 56. et *Bottari* in praef. erudita ad figuras huius Codicis, ex parte olim a *Bartolo* tabulis aeneis expressas, et editas Romae 1677. 4. tabb. 55. repetitas autem (nam tabulae aeneae superstites erant) et auctas ipsius cura ibid. 1741. fol. cum fragmentis Virgilianis, quae in eo Codice reperiuntur. Aliusne sit Codex Virgilii, qui traditur minus antiquus quidem, sed tamen et ipse eximiae vetustatis, atque iconibus amoenis ornatus in Bibl. eadem Vaticana, quas diligenter delineatas aeri incidi edique curare voluit *Io. Car. Schottus*, [1] a quo Virgilium nummis et veteribus monumentis illustratum, incassum [2] exspectavimus. Sed Codd. Virgilii scri-

1 *Journal des Savans* 1708. Oct. pag. 117.

2 Obiit Berolini 12. Decembr. 1717.

ptorum notitiam qui desideret, adeat Cl. Heynium in Proleg. Virgilii, et auctores Novi operis diplomatici, in quo et multorum specimina exhibentur.

Ex antiquis Grammaticis Virgilium illustraverat *Alexander* quidam artigraphus, *Aurusianus Messus*, *Aemilius Asper*, *L. Annaeus Cornutus*, *Carminius*, *Aruntius Celsus*, *Flavius Caper*, *Grillius*, *Iulius Hyginus*, *Martius Salutaris*, *Octavius Avitus*, *Q. Asconius Pedianus*, *Pius*, *M. Valerius Probus*, *Rufus Apronianus*, *Scaurus* et *Velius Longus*. In Georgica scripserat etiam *M. Antonius Gnipho*. Sed horum omnium lucubrationes perierunt, perinde ut *Calvi* et *Iulii Titiani* Rhetorum, qui controversiarum materias e Virgilio petierant, vel *Avieni*, qui Virgilium versibus iambicis Latinis reddidit. Vide Catalogum scriptorum, quem Servio suo Georg. Fabricius praemisit, et Barthium LXVII. 14. Adversar.

Perierunt etiam Virgilii ipsius nonnulla; sed his non accensendum *Scylla* poëma, quod laudat Seneca Epist. 92. Illud ipsum enim est, quod *Ciris* inscribitur, ut dicetur infra. Servius in Eclog. III. 20. rem nusquam lectam incerta fide a quibusdam tradi narrat, quod Varus (Donato in vita Virgilii *Varius*) tragoediarum scriptor, tragoediam (*Thyesten* idem Donatus appellat) pro sua recitaverit, quam uxor Varii literatissima marito, tanquam a se scriptam dederit scilicet, cum a Virgilio illam accepisset.

Digitized by Google

VIRGILII Culex, Ciris, et alia Catalecta in Appendice Virgilii.

Refertur praeterea ad Virgilium veluti auctorem *Culex*, a Martiali quidem XIV. 185. et Statio Genethl. Lucani Silv. II. 7. 74. ubi v. Barth. dicatus Octavio Augusto Imp. Poëma heroicum venustum et iucundum, quod senem Virgilium lusisse putabat Ios. Scaliger; etsi Papinius, in Epistola ad Stellam, adolescentis potius proludium fuisse innuit, cui sententiae favet etiam Martialis VIII. 56. Exstat Dissertatio Critica et carmen hendecasyllabum, quibus *Culex* Virgilio abiudicatur, tribuiturque poëtae alicui Vandalo vel Afro, quales sub rege Trasimundo ingeniosi esse voluere quidam in Virgilianis imitandis interpolandisque, Parte II. Tomi VII. sylloges Gallicae, cui titulus: *Continuation des Mémoires de littérature et d'histoire*. Paris. 1729. 12. pag. 295. sqq. 312.

Ciris quoque, Val. Messalae inscripta, *κεῖρις* sive *κίρρις*, sive, ut a Seneca Epist. 92. vocatur, *Scylla*. (continet enim fabulam de Scylla Nisi F. in cirin avem mutata) videtur recte ad Maronem referri: quamquam Gifanius, nec non Iustus Fontaninus nuper, *Cornelio Gallo*: Raphaël Eglinus, in vindiciis Ciris Catullianae adversus Scaligerum Francof. 1606. 12. recusis in edit. Catulli in usum Delph. et alii *Catullo* maluerint tribuere. Virgilii esse negat Broukhusius ad Propert. p. 90. Contra Virgilio asserere non dubitaverat etiam Barthius, cum hoc poëma separatim cum commentario suo

ederet, natus annos duodeviginti, Amberg. 1608. Virgilioque adscribit ad Claudian. I. in Rufin. v. 253. licet alibi Cornelio Gallo videatur malle tribuere, ut ad Statii Theb. I. 335. Adv. III. 21. Nuper etiam Virgilii esse defendit Schraderus in Obs. II. 3. cuius rationes probat Valkenarius in Diatr. in fragm. Euripidis p. 160. Vid. etiam inpr. Fontaninum Hist. liter. Aquileg. L. I. c. 2. §. 5. Cirin aliquot locis illustrant Reinesius lib. V. c. 7. Var. lect. ad calcem epistolarum ad Bosium pag. 332. et auctores Miscellanearum Observationum in Auctores, editarum Anglice Lond. 1732. 8. num. XXII. seq. et ed. Dorvill. Vol. IV. pag. 317.—333. ed. I—IV. 33. Iulius Caesar Scaliger Exerc. CCCXLI. in Cardanum: *Profecto una Virgiliana Ciris universum obruit Silii reptilem conatum.*

His reliqua subiicere animus est, quae leguntur in *Virgilii Catalectis*, et sub titulo Appendicis Virgilii aliquoties prodiere: etsi pauca genuina Maronis poëmata continent, et pleraque fere ex iis certo constat non esse tanti auctoris.

1. *Aetna.* Hoc poëma *Cornelio Severo* tribuendum esse, observavit Ios. Scaliger ex hoc loco Senecae Epist. 79. ad Lucilium: *donec Aetnam describas tuo carmine, et hunc solennem omnibus poëtis locum attingas, quem quo minus Ovidius* (libr. XV. Metamorph.) *tractaret, nihil obstitit, quod iam Virgilius* (libr. III. Aen.) *impleverat: ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit.* Quintiliano Varo adscribit Iul. Caes. Scaliger in Hypercritico p. 786. Manilio Barthius p. 1044. ad Claudianum

et Statium X. Theb. p. 911.[1] Eidem in mentem venit, Christiano scriptori vindicare XLIX. 6. Adversar. Iam olim esse de auctore dubitatum, scribit Tiberius Donatus in Virgilii vita: *Poëticam puer adhuc auspicatus in Balistam ludimagistrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, distichon fecit. Deinde Catalecton, et Priapeia, et Epigrammata, et Diras, item Cirim et Culicem, cum esset annorum XVI. Scripsit etiam, de qua ambigitur, Aetnam.* Fulvius Ursinus in Virgilio cum Graecis scriptoribus collato p. 272. memorat Codicem manu Pomponii Laeti scriptum, quo *Aetnae* poëma *Cornelio Severo* diserte tribuitur. Valde corruptum hoc carmen ad nos pervenisse queritur Petr. Burmannus, qui et emendare et illustrare in animo habebat. Utrumque praestitit Phil. Iac. *Dorvillius* in Itinere Siculo T. I. De *Severo* videndus Nic. Faber ad Suasoriam secundam Senecae. Quintilianus X. 1. magno ingenio et facili in versibus scribendis eum fuisse professus, addit morte praematura impeditum, non potuisse, quae inchoaverat, consummare. Ovidius IV. 16. e Ponto: *Quique dedit Latio carmen regale Severus.*

2. *Cornelii Severi* carmen, sive fragmentum *in necem M. Tullii Ciceronis*, ex M. Annaei Senecae Suasoria VII. Hoc et superius Severi carmen cum perspicua interpretatione et eruditis notis Scaligeri, Lindenbrogii, suisque, et indice separatim edidit, et alia quaedam Severi fragmenta, Petri

1 Lucilio Iuniori tribuit novissimus editor Io. Christ. Wernsdorf, inter Poëtas Latinos minores Tom. IV. Altenburgi 1785. 8.

item *Bembi Aetnam* prosa latina scriptum adiunxit Theod. Gorallus, sive qui hoc sub nomine latet Io. Clericus, Amstelodami 1702. 8.

3. *Moretum*, quod Virgilio ipsi adscribere aliqui cum Is. Vossio non dubitant, et Parthenium Nicaenum poëtam Graecum in illo imitatum esse observant. *A. Septimio Sereno* post Scaligerum, Barthium, aliosque tribuit *Io. Weitzius*, qui notis illustravit Francof. 1642. 8. ad calcem Copae. *Moretum*, Idyllium *Suevii* poëtae (quem virum longe doctissimum vocat, et versiculos quosdam ex eo affert, Macrobius lib. II. Saturnal. c. 9. emendatos a Salmasio ad Solin. p. 598. edit. Paris.) diversum est a *Moreto*, quod legitur inter Virgilii Catalecta, quodque Scaliger tribuit *A. Septimio Sereno*, poëtae Falisco, qui Vespasianorum aetate vixit, et a Terentiano subinde laudatur auctor *ruris opusculorum*: de quo videndus Sirmondus ad Sidonii Epistolam carmini XIV. praemissam Tom. I. pag. 1249.

4. *Dirae* Valerii Catonis in Battarum fluvium, quas copioso neque inerudito commentario illustratas separatim edidit Christophorus Arnoldus, Lugd. B. 1652. 12. Num ob agros suos inter creditores divisos in has exsecrationes se effuderit, vide, si placet, disputantem Boxhornium p. 41. seq. Epist.

5. *Priapeia* sive lusus atque epigrammata in Priapum LXXXVII. obscoena maximam partem, et cum Scaligeri et Lindenbrogii, Casparisque

Scioppii[1] notis, et verborum phrasiumque indice separatim edita[2] Amstelod. (licet titulus Patavium praefert) a. 1664. 8. Haec *Virgilio* tribuit Io. Maria Catanaeus ad Plinii V. Epist. 3. *Ovidio* Politianus, c. 59. Miscell. alii, ut Franc. Guietus[3] *Domitio Marso*. Alii denique existimant, poëtarum Maecenatem accedentium unumquemque versiculos aliquot iocosos in parietibus sacelli Priapei adscripsisse, postea a poëta quodam in unum fasciculum collectos, qui et carmen ad lectorem praefixerit. Ita sentit Scioppius et Iac. Maria Gennus in vita Maecenatis Italice scripta. Itaque et in editione Aldina a. 1534. 8. inscribuntur: *Diversorum veterum Poëtarum in Priapum lusus. Catullo* deberi quaedam ex illis notavit P. Victorius XII. 3. et XXV. 12. Var. Lect. *Marsum* vel *Calvum*. *Cinnam*ve, aut *Anserem* (quem Cinna procaciorem vocat Ovidius II. Trist. v. 435.) Priapeiorum carminum auctorem esse, putat Mapheus Vegius II. 18. de educatione liberorum, T. XXVI. Bibl. Patrum, p. 657. Vide et Broukhusium ad Tibullum pag. 406. A Plinio tamen lib. V. Epist. 3. Virgilius quoque diserte nume-

1 Annos XVII. tum natus fuit Scioppius, cum a. 1595. commentarium illum componeret, quem postea scripsisse se negavit, et Goldasto tribuit. Vid. Baelii Lex. in Scioppio nota B.

2 Subiicitur in eadem editione Apuleii ἀνεχόμενος cum Scioppii notis, et commentitiae Epistolae latinae Heraclii Imp. ad Sophoclem Sophistam, Sophoclis ad Heraclium. C. Antonii ad Q. Soranum, Cleopatrae Reginae ad eundem. Q. Sorani ad M. Antonium et Cleopatram, de priapismo Cleopatrae Reginae eiusve remediis, e bibliotheca Goldasti.

3 Vide Anton. Periandrum in Guieti vita, p. 5.

ratur inter eos, quorum exemplo ait et se nonnunquam versiculos parum severos lusisse. *An ego verear*, inquit, (*neminem viventium, ne quam in speciem adulationis incidam, nominabo.*) *sed ego verear, ne me non satis deceat, quod decuit M. Tullium, C. Calvum, Asinium Pollionem, M. Messalam, Q. Hortensium, M. Brutum, L. Sullam, Q. Catulum, Q. Scaevolam, Ser. Sulpicium, Varronem, Torquatum, immo Torquatos, C. Memmium, Lentulum, Gaetulicum, Annaeum Senecam, Luceium, et proxime Virginium Rufum; et, si non sufficiunt exempla privata, divum Iulium, divum Augustum, divum Nervam, Titum Caesarem? Neronem enim transeo, quamvis sciam, non corrumpi in deterius, quae aliquando etiam a malis, sed honesta manere, quae saepius a bonis fiant: inter quos vel praecipue numerandus est P. Virgilius, Cornelius Nepos, et prius Ennius, Acciusque, non quidem Senatores, sed sanctitas morum non distat ordinibus.* Bernardini Veronensis, (cuius in Tibullum commentarii prodiere Rom. 1475.) Commentum Ms. in Priapeia fuit in Bibl. Gabr. Naudaei, teste Labbeo pag. 236. Bibl. nov. Ms. *Priapeia* cum Scioppii et aliorum notis prodiere Francof. 1606. 12. et subiecta leguntur Petronio Mich. Hadrianidis, Amst. 1669. et 1687. 8. Exstant etiam cum *Hieron. Avantii* Veronensis castigationibus in editione Veneta Catulli, Tibulli et Propertii 1500. fol. Novissime emendata et explicata prodierunt Lipsiae 1781. 8. cur. Conr. Gottl. Antonio.

6. *Copa* sive *Cupa* (*καπηλὶς*), quod carmen Virgilio ex Charisii testimonio tribuunt Scaliger, Casaubonus, et alii, quorum loca editioni suae praefixit I. Weitzius. Locum aliquem illustrat Huetius pag. 22. ad Anthologiam Epigr. Graecorum. Occasione *Copae*. Virgilio[1] tributi poëmatis, addo, paucis visum iri verisimile, quod Baudelotus de Dairval, in libro amoenissimae eruditionis pleno, quem Gallice de fructu ex itineribus capiendo edidit p. 645. (676.) (T. II. edit. novae p. 326.) Copae Syriscae imaginem reperisse sibi visus est in vetere nummo, in quo exstat caput feminae cum literis C. S.

7. *C. Pedonis Albinovani elegia in obitum C. Maecenatis*, quam Pedonis esse negat Vossius pag. 32. de Poëtis latinis, et II. 27. de arte Grammatica; Pedoni vindicat post Scaligerum Henr. Meibomius, qui notis illustratam commentario suo de vita Maecenatis inseruit, Lugd. Bat. 1653. 4. et Theodor. Gorallus, de cuius editione mox dicam. Pedoni, Ovidii aequali, tribuendam negant etiam Caspar Barthius in Claudianum pag. 163. Vossius lib. II. artis Grammaticae cap. 27. Io. Massonus in vita Horatii p. 143. sq. et Petr. Burmannus praef. ad Petron. item in notis p. 520. ad Ovi-

1 Virgilio adscribit etiam Barthius. Dubitat Salmasius ad Vopiscum. Est autem *copa* auctori poëmatis mulier cauponaria, *καπηλὶς*, licet recentioribus seculis *copa* denotet poculum, Gallis *coupe*. Vide Felicem Osium notis ad Othonis Morenae et Acerbi historiam rerum Laudensium, Tom. III. Thesauri Antiqq. Italiae pag. 1054. Cangii glossarium; Frid. Adolph. Lampe de cymbalis veterum lib. II. c. 23.

dium T. I. pag. 796. et in libro Gallice adversus Io. Clericum edito p. 212. et p. 117. *En effet, la latinité, la versification, les expressions peu poëtiques, et tout le système de cette élegie font voir clairement, que c'est une fade et misérable production d'un esprit scholastique des derniers siecles.* Ultima verba Maecenatis, quae incipiunt a versu, *Sic est Maecenas*, atque in anterioribus editionibus cum elegia in obitum Maecenatis post versum 144. cohaerebant, divellenda ex Scaligeri iudicio statuit Theodor. Gorallus.

8. Eiusdem *Pedonis elegia* perquam elegans ad Liviam Augustam *de morte Drusi* Neronis, et alius *de navigatione Drusi Germanici* per Oceanum septemtrionalem, a. U. C. 769. Christi 16. susceptа, fragmentum ex Senecae Suasoria I. Has Pedonis reliquias universas recensuit, ac seorsim cum interpretatione notisque et suis et Scaligeri ac Lindenbrogii, atque in elegiam de morte Drusi annotationibus Nic. Heinsii, et utili indice edidit Theod. Gorallus, sive qui sub hoc nomine latet, Io. Clericus, Amst. 1703. 8. In codicibus antiquis Ovidio tribui elegiam de morte Drusi, Nic. Heinsius affirmat, quod tamen ipsi nullo modo videtur verisimile, licet nec Pedoni eam certo adscribere velit. Recensuit tamen illam atque illustravit in Ovidio suo. Vid. Tom. I. ed. Cnippingianae p. 761. sq. et Burmannianae Tom. I. p. 795. Vide etiam Lipsium lib. III. Epist. quaest. 3. In hanc, haud indignam *Pedone*, commentarium suum memorat Barthius pag. 209. ad Claudianum. Ia-

nus Passeratius in praefationibus p. 286. veterum editt. et quorundam Codicum fidei obsecutus, consolationem hanc ad Liviam *Ovidium* habere auctorem sibi persuasit, et Senecam in suis ad Polybium, Martiam, Elbiamque sive Helviam consolationibus ex isthoc poëmate profecisse. De Pedone ipso vide Nic. Fabrum ad Senecae Suasoriam I. Gaddium Tom. I. de scriptoribus non Ecclesiasticis p. 253. De editione Goralli, quae Amstelod. 1715. 8. recusa est, Acta Erud. 1703. p. 494. et Bibl. selectam Io. Clerici, Tom. XIV. pag. 236.

9. *M. Annaei Lucani* Panegyricum carmen *ad Calpurnium Pisonem*, quod Virgilio vel Ovidio contra temporum rationem adscriptum a quibusdam, rectius Lucano, ex auctoritate Msti Codicis, vindicavit Ios. Scaliger et Hadr. Iunius, a quo emendatum est lib. VI. c. 1. Animadvers. Equidem Thom. Dempsterus ad Rosinum p. 99. obiicit, quod v. 241. seq. paupertatem suam auctor carminis deflet, Lucanum vero marmoreis in hortis iacere scripsit Iuvenalis Sat. VII. 79. Possit forte responderi, divitiis, quarum Tacitus quoque meminit, auctum demum esse Lucanum Pisonis Neronisque beneficio, post carmen hoc scriptum, quo admodum adolescens se Pisoni commendat:

Est mihi, crede, meis animus constantior annis:
Quamvis nunc iuvenile decus mihi pingere malas
Coeperit, et nondum vicesima venerit aestas.

Verum [1] *humilis* quoque *domus* obiicitur, quae Lucano quadrare minus videtur:

— — *superest animosa voluntas.*
Ipsaque nescio quid mens excellentius audet.
Tu nanti protende manum, tu, Piso, latentem
Exsere, nos humilis domus et sincera parentum,
Sed tenuis fortuna sua caligine celat.

Igitur adhuc duxerim de auctore dubitandum, praecipue cum inscriptio ipsa, quam Scaliger reperit, hoc iubere videatur: *Lucani Catalecton de laude Pisonis.* Barthius ad Statium Tom. I. p. 254. ad 456. non dubitat illud ad Papinium auctorem referre, et lib. XLIX. Adversar. c. 7. ubi ἀτέλεστον ad nos pervenisse, et in libros aliquot ab auctore fuisse tributum putat, cultum alioquin et eruditum.

10. *C. Petronii Arbitri de mutatione Reipublicae Romanae.*

11. *Vita Virgilii*, versibus edita e *Foca* Grammatico.

12. Eiusdem *Focae*, *Herennii Modestini* Icti perperam tributa Ovidio, et *C. Sulpitii Apollinaris*, aliorumque Scholasticorum Poëtarum *in Virgilium*, et *librorum Virgilianorum argumenta.* Auctorem non *Modestinum* Ictum esse, sed *Ovidium* poëtam, ex plurium Mss. Codicum testimonio contendit Hercules Ciofanus notis ad librum sextum Metamorphoseon pag. 110. seq.

13. Duodecim Poëtarum Scholasticorum, *Vo-*

1 Vide Nic. Antonii Biblioth. veterem Hispanam pag. 47. et Gisberti Cuperi Observationes lib. III. c. 1.

mani. Euphorbi. Iuliani. Hilasii. Palladii. Asclepiadii. Eusthenii, Pompeiani. Maximiani. Vitalis. Basilii. et *Asmeni* argumenta in Aeneidem, atque lusus Poëtici. *Sulpicii Apollinaris* Hexastichon in Maronis Aeneidem flammis iussu Augusti subtractam legitur integrum in vita Poëtae a Donato scripta, licet Brietius et Baelius pro deperdito habuerunt, ut iam notatum reperi in Historia Critica Reip. literariae Gallice edita Tom. VII. p. 325. De *Pompeiano* Scholastico poëta, et aliis Pompeianis, Reinesius Epistola 50. ad Rupertum pag. 466. 469. sq.

Denique Ioseph. Scaliger in Appendice Virgilii exhibuit etiam una cum castigationibus suis *Catalecta* [1] *veterum poëtarum* in *duos* a se digesta *libros*, in quibus praeter plurima innominatorum, occurrunt Epigrammata latina aliaque poëmatia minuta vel fragmenta *Q. Ennii. M. Terentii Varronis. P. Terentii Varronis Atacini. Puppii. M. Accii Plauti Sarsinatis. C. Naevii. M. Pacuvii. Domitii Marsi. C. Caesaris Germanici. M. Tullii Ciceronis. Q. Ciceronis. P. Virgilii Maronis. Furii Bibaculi. C. Petronii Arbitri. Afranii. C. Laberii. Porphyrii poëtae. Porcii Licinii. Q. Catuli. L. Apulei. Gallieni Imp. Val. Aeditui. C. Plinii Caecilii Secundi. C. Caesaris Octaviani Augusti. Laureae Tullii. M. Valerii Martialis. C. Helvii Cinnae.* [2] *P. Syri. L. Pomponii.*

1 Catalecta dicuntur quasi κατελεγόμενα, de quorum auctoribus ambigitur: sed quandoque etiam scriptum reperias *cata dicta*, h. e. dicta cate, argute, sapienter, qui sensus plerisque horum melius congruit.

2 Hic Cinna citatur ab Isidoro VI. 12. Originum.

L. Manilii. Ablabii Cos. Iulii Flori. Hadriani Imp. C. Iulii Caesaris dictatoris. C. Silonis poëtae. C. Cassii Severi Parmensis. C. Val. Catulli. A. Septimii Sereni Falisci. C. Volcatii Sedigiti. Sentii Augurini. Pollucis. Citerii Sidonii Syracusani. Sulpitii Servasti iunioris. C. Iulii Solini. et Romanae Sapphus *Sulpiciae.* Similes collectiones veterum Epigrammatum et Poëmatiorum Latinorum a P. Pithoeo et aliis editas recenseo libro IV.

VIRGILIUS Graecorum imitator. Virgiliocentones. Scripta nonnulla ad Virgilium spectantia.

Assiduus Graecorum imitator Virgilius fuit, Theocriti praesertim in Eclogis, in Georgicis Hesiodi, et in Aeneide Homeri;[1] Odysseae legens vestigia libris sex primoribus, et sex posterioribus aemulatus Iliadem, ut Huetius in Huetianis p. 201. observavit. Vide Gellium, Macrobium, et e recentioribus Henr. Stephanum,[2] Iul. Caes. Scaligerum,[3] et singularem librum Fulvii Ursini, quo

1 Quod Homeri Virgilius nusquam meminerit, *ingratissimus erga cum cui nihil non debebat* vocatur ab Is. Casaubono ad XIV. Strabonis pag. 236. Addit Sirletus ap. Muretum XVIII. 14. Var. Lect. quod Ciceronem, ubi se offerebat occasio, silentio praeterierit. Virgilium ab hoc crimine excusat, quod non imposuit poëmati suo ultimam manum. In veteri gemma ap. P. Stephanonium, et in vet. ap. F. Ursinum numo, et T. III. Thes. Antiquit. Gr. Gronoviani lit. qqq. Virgilius faciem Homeri intuens exprimitur.

2 Henr. Stephani observationes in Virgilianas et Nasonianas imitationes Theocriti exstant ad calcem Theocriti ab eodem Stephano vulgati a. 1579. 12.

3 Io. Dunaei carmen Scazonticum, quo vindiciae Virgilianae pro Iul. Caes. Scaligero, Virgilium Homero praeferente, adversus Iust. Lipsium continentur, exhibet Georg. Hackwill Anglus in Apologia pro providentia Dei p.

Virgilium collatione Graecorum scriptorum illustravit, Antv. 1568. 8. qui repetitus est adiunctis tribus opusculis per *Lud. Casp. Valkenarium* Lugd. 1747. 8. Exstat et praeclara dissertatio *Renati Rapini*, qua Virgilium contendit cum Homero, quae Gallice primum, tum Latine reddita, (Iano Broukhusio, ni fallor, interprete) lucem adspexit sub titulo: *Observationes in Poëmata Homeri et Virgilii. Traiect. ad Rhen.* 1684. 12. Praetereo, quae ex Rapino et aliis disserit Bailletus parte II. Iudiciorum de poëtis. Quam longe reliquis latinis poëtis Maro praeferendus sit, ostendit Alexander Rossaeus in Virgilio triumphante, Roterod. 1661. 12. Virgilii versus in Iure civili laudatos illustrat Scipio Gentilis lib. II. Parergon, c. 16. 17. 18. De imitatione Virgilii Homerica praeter alios legendus Vincentius Gravina, vir acutissimus, scripto de ratione poëtica, quod Italice ante paucos annos edidit lib. I. pag. 96. sq. Franc. Fragvierii dissertatio inserta Tomo tertio memoriarum Academiae Gallicae elegantiorum literarum p. 184. sq. *sur la maniere dont Virgile a imité Homere.* Non ab re *Graecissimus* dictus Pontico Virunio in declarationibus ad Guarini erotemata Graecae linguae, sic ut eruditorum iudicio Maro sit

Ascraeo maior, Siculo[1] *minor, aequet Homerum.*

Homero etiam praefert Andreas Baccius lib. IV. de vinis antiquorum c. ult. et Claud. Peraltus in

288. sq. In Bucolica et Georgica annotationes et loca Theocriti et Hesiodi quaedam, quibus usus Virgilius, latine reddita per Eobanum Hessum, Hagenoae 1529. 8.

1 Theocrito. Conf. Menagiana Tom. IV. p. 166.

comparatione veterum ingeniorum cum recentibus, Gallice edita, atque ante utrosque Angelus Politianus in Nutricia:

Proximus huic (Homero) *autem, vel ni veneranda vetustas*
Obstiterit, fortasse prior, canit arma virumque
Virgilius, cui rure suo, cui gramine sacro
Ascraeus, Siculusque simul cessere volentes.

Centones Virgilianos momorat Tertullianus de praescript. cap. 39. *Vides hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi, materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. Denique Hosidius Geta Medeam tragoediam* [1] *ex Virgilio plenissime exsuxit. Meus quidem propinquus ex eodem poëta inter cetera stili sui otia Pinacem Cebetis explicuit.* Medea *Hosidii Getae*, qui Claudii Imp. temporibus vixit, cuiusque fragmentum Scriverius edidit, versibus scripta est Heroicis, adeoque ab Ovidii Medea, quae Iambicis composita erat, certe diversa. Ab eo tempore *Proba* quaedam centonem ex Virgilio, de fabrica mundi et Evangeliis, plenissime expressit.

Hanc *Centonum Virgilianorum* poëtriam, gentilium carmina ad obsequium fidei retorquentem, *Falconiam Probam*, civem Hortanam, non *Faltoniam* appellandam esse, nec cum *Anicia Faltonia Proba*, trium Consulum matre, (de qua Baltellus [2]

1 Fragmentum insigne huius tragoediae edidit P. Scriverius in Fragm. vett. Tragicorum latinorum pag. 187. 190. testatus integrum fuisse ap. Salmasium, qui ex vetustissimis membranis vulgare voluit.

2 *Mémoires de Trevoux* 1708. p. 876. De Anicio Probo praefecto Praetorio sub Valentiniano, Pro-

in Diss. de sarcophago marmoreo Probi Anicii et Probae Faltoniae in templo Vaticano Rom. 1705. 8.) nec cum *Valeria Proba* uxore Adelfii Procos. [1] quidquam habere commune, docet Iustus Fontanini libr. II. de Antiquitatibus Hortae Coloniae, cap. 1. sq. [2] oppugnans Thomam de Simeonibus, qui in diss. de duabus Probis, [3] in cuius calce cento ipse exhibetur, Bononiae 1692. 4. Valeriam Faltoniam Probam Adelfii [4] uxorem centones illos composuisse contendit. Scripti sunt post a. C. 393. ad Honorium, cum iam Augustus atque Imperator esset:

baque uxore, Iac. Gronovius T. III. Thesauri antiquitt. Graecarum *rrrr.* Probae Probique tumulus in Ferreti Musis lapidariis III. 45. p. 215. et in Pauli Aringhi Roma subterranea II. 10. pag. 181.

1 Cf. Ephemerides eruditorum Paris. a. 1694. p. 249. sq. et Pagium ac Sam. Basnagium ad a. C. 395. Notas ad Augustinum T. II. ed. Amstel. p. 289. Pagium etiam ad a. 438. n. 7.

2 Acta Erud. 1709. pag. 6. Mémoires de Trevoux. 1708. pag. 1904. Girornale de' letterati d'Italia T. XXIV. p. 140. sq.

3 Giornale de' letterati di Modena a. 1692. p. 247.

4 Ita certe Isidorus Hispal. de scriptoribus Eccles. cap. 5. *Proba uxor Adelfii Procos. femina inter viros Ecclesiasticos idcirco posita sola, pro eo quod in laude Christi versata est, componens centonem de Christo Virgilianis coaptatum versiculis. Cuius quidem non miramur studium, sed laudamus ingenium. Quod tamen opusculum legitur inter Apogryphas scripturas insertum.* Gelas. dist. 15. c. 3. *Centimetrum de Christo Virgilianis compaginatum versibus, Apocryphum.* His adde quod ad calcem codicis Ms. Centonum seculo X. exarati, qui exstat in bibl. monasterii S. Benedicti Padolironensis non procul a Mutina, haec leguntur teste Bern. de Montfaucon Diarii Italici pag. 36. *Proba uxor Adolphi mater Olibrii et Aliepii* (Alypii) *cum Constantii* (Constantini) *bellum adversus Magnentium conscripsisset, conscripsit et hunc librum.* Uxorem Adelfii vocat etiam Isidorus Hisp. lib. I. Orig. cap. 38. et ex eo Vincentius Bellovacensis lib. III. speculi doctrinalis cap. 111. qui Virgiliocentonum etiam meminit lib. I. c. 32. ex Hieronymo ad Paulinum. Pluribus quoque eam celebrat Io. Boccacius libro de claris mulieribus.

Haec relegas servesque diu, tradasque minori
Arcadio: haec legat ille tuo generi, haec tua semper
Accipiat, doceatque suos Augusta propago.

Post Venetam editionem[1] 1472. f. et Romanam a. 1481. 4. in Bibl. Barberina obviam, *Io. Phil. de Lignamine*. Equitis Siculi, quam pro prima habet Iustus Fontaninus, prodiere Antverpiae sive in oppido Mercuriali Antverpiensi per Gerardum Leonis 1489. quam editionem evolvit Henr. Stephanus, et Brixiae 1496. 8. Deinde ab Aldo una cum Sulpicio Severo, Homerocentonibus, quos Probae imitatione deinde composuit Eudocia Augusta, Iuvenco, &c. Venet. 1501. 4. a qua ἐκδόσει plurimum differt altera itidem in quarto, circa idem, ut videtur, tempus sine loci et anni notatione vulgata. Praeterea prodierunt Daventriae 1505. 4. Paris. 1509. 4. apud Io. Petitum, et Lugd. 1516. 8. cum Mantuano et aliis per *Stephanum de Basignana Gorgonium* Carmelitam Doctorem Theologum, *Probae Centonae vatis clarissimae a Divo Hieronymo comprobatae de Fidei nostrae mysteriis e Maronis carminibus excerptum opusculum:* et Oppenhemii a. 1517. Francof. 1541. 8. curante Petr. Brubachio, una cum Homerocentonibus et Nonno. Tum Paris. apud Franc. Stephanum a. 1543. 8. et apud Henr. Stephanum[2] 1578. 12. cum Ho-

1 Illius primae editionis titulus ita refertur a Mich. Maittario in Annal. typogr. p. 98. *Ausonii Peonii poëtae disertissimi Epigrammaton libri.* Probae Centonae clarissimae feminae excerptum e Maronis carminibus ad testimonium Veteris Novique Test. *Ovidii Consolatio ad Liviam: Calphurnii Bucolicum carmen: Publ. Greg. Tiferni hymni et alia poëmata.* Venet. 1472. fol.

2 Casp. Barthius ad Claudianum pag. 47. ubi de Proba Fal-

merocentonibus [1] Eudociae et Nonni paraphrasi Evangelii Iohannis. Praeterea curante *Iul. Roscio*, Rom. 1588. 12. qui ex Codd. Vaticanis et Hortano castigavit, praefationemque Probae restituit, quam Sedulio alii perperam tribuere, commentarios etiam pollicitus, sed qui lucem nunquam viderunt. Nec non cum Capiluporum et Henr. Meibomii aliorumque Virgiliocentonibus, curante eodem Meibomio, Helmst. 1597. 4. Omitto editiones alias, ut Coloniensem 1601. 8. et quae in Bibliothecis Patrum occurrunt. Sed prae ceteris laudandum studium *Io. Henr. Kromayeri*, qui centones hos notis et indice ornatos vulgavit Halae 1719. 8. signatis accurate ad singulos versus versibus Virgilii, quibus centones illi constant. In *Laurentii Legati*, Cremonensis, primitiis musei poëtriarum editis Bononiae a. 1668. 4. de Aelia Eudocia Augusta, de Proba Valeria Falconia, et de Sulpicia, earundemque vita, carminibus et opusculis disseritur, consultis etiam inscriptionibus antiquis. Mstos quosdam Codices Oxoniae, Lugduni Bat. et Londini obvios notat Oudinus T. I. pag. 900. sq. Iam pridem Probae centones una cum Tancredo Phil. Beroaldi, Gallice convertit *Rich. le Blanc*, Paris. 1553. 16. apud Rob. Messalinum, (teste Crucimanio pag. 440. Bibl.

conia: *Teritur manibus editio H. Stephani, qui non aeque bene ac de aliis, de hoc libello meritus est: illud vero facinus commisit illaudabile, quod notas librorum Virgilianorum marginibus depulit, unde sedes argute traductorum in Centonum versuum et hemistichiorum memoria eximuntur.* Adde eius Adversaria XV. 15.

1 De Homerocentonibus Patricii, Eudociae, Pelagii, dixi lib. II. Bibl. Graec. c. 7. §. 4.

Gallicae) et post eum *Pardoux du Prat* Lugduni 1557. 8. apud Io. d'Ogerolles. Sic quoque et quidam *Pomponius* ex eodem poëta inter cetera stili sui otia Tityrum (carmen bucolicum) in honorem Christi composuerat, ut refert Isidorus lib. I. Originum cap. 38. sed Pomponii illud carmen non tulit aetatem.

Ausonii Cento nuptialis itidem e Virgilio est expressus. Recentiores vero in hoc genere elaborarunt multi, ut *Albertinus Musatus* Patavinus, qui seculo XIV. claruit, et seculo XVI. ut *Laelius Capilupus* Mantuanus in Virgiliocentonibus de vita monachorum scriptis a. 1535. quos post Flacium in poëmatibus de corrupto Ecclesiae statu, Basil. 1557. 8. pag. 355. Io. Wolfium T. II. lect. memorabilium pag. 407. et Henr. Meibomium, recudi nuper curavit Albertus Henricus de Sallengre in libro Gallico, *Mémoires de litérature* T. II. p. 191. sq. Exstant etiam eiusdem Laelii Virgiliocentones de lue, quam Hispanicam alii, alii Gallicam appellant, Fracastorius poëmate pulcherrimo Syphilidem. *Iulius* porro *Capilupus*, qui superioris nepos fuit, sex Centones varii argumenti ad Vincentium Gonzagam Mantuae ducem scripsit, ab Ant. Possevino ad editionem paratos Romae a. 1550. *Fulvius Ursinus*, tunc admodum iuvenis, adiunxit Virgiliocentonem in laudes Benedicti Aegii Spoletini. Vid. Menagiana T. IV. p. 231. *Saulus Mercerus*, sive qui transpositis literis sub hoc nomine latet, *Marcus Velserus*,[1] in Pro-

1 In Velseri Opp. editus est hic Proteus Norib. 1682. f. cu-

teo Virgiliano; *Henricus Meibomius* avus in Virgiliocentonibus, quos cum hactenus laudatis iunctim edidit, subiunctis *Iul. Roscii* Hortini contexendorum centonum praeceptis, Helmstad. 1597. 4. His addere licebit *Ottonis Gryphii* vitam Christi Virgilianis versibus scriptam Ratisbonae 1594. 4. et *Alex. Rossaei* Aberdonensis, S. I. Psychomachiam Virgilianam, et libros XIII. Christiados, sub titulo Virgilii Christiani et Evangelici sive Evangelisantis editos Lond. 1638. 8. et Lipsiae 1733. 12. cum praefatione Io. Erhardi Kappii; *Christophori Dieter. Steinmanni* Ierxheimensis centonem de Nativitate Servatoris, Helmst. 1670. 4. *M. Sam. Pomarii* centonem Virgilianum de lapsu generis humani, nec non de agone et captivitate Christi, Magdeb. 1581. 8. *Aegidii Bavarii* Belgae S. I. Musam Maronis Catholicam, seu Catechismum, versibus Virgilianis, Antverp. 1622. 12. Eiusdem Passionem Christi, versibus Maronianis similiter descriptam; *Bern. Ramazzini.* Carpensis, Medici, Centonem e Virgilio de bello Siculo ad regem Galliae Ludovicum XIV. Mutinae 1677. 4. *Io. Czernoviceni* Pragensis centonem de Imperatoribus Austriacis; *Menapii* Centonem Virgilianum et Ovidianum de fratribus roseae Crucis etc. *Laurentius* vero *le Brun* e Soc. Iesu, in Virgilio suo Christiano, Paris. 1660. 4. et Dilingae 1696. 8. edito, perinde ut in sex libris Christiados *Hieron. Vida.* Virgilii scitum imitatorem, non centonum

rante Christoph. Arnoldo. In hoc Proteo inter alia habes etiam argumenta librorum Aeneidos singulis versibus Virgilii expressa.

συρραπτάδην se profitetur. Verum Laurentius non Christi, sed Ignatii sui Loiolae gesta in poëmate illo persequitur. *Io. Baptist. Spadius*. Placentinus, ordinis Dominicani sive Praedicatorum Monachus, varios centones Virgilianos concinnavit, Placentiae et alibi editos.[1] Laudatur inprimis vita S. Raymundi Pennafortii, Ordinis Praedicatorum Magistri generalis, Virgilianis versibus ab eodem conscripta, et Papiae 1606. fol. edita. *Sibylla Capitolina*. Publii Virgilii Maronis poëmation libris IV. interpretatione et notis illustratum a S. L. Oxonii e theatro Sheldoniano 1726. 8. nihil aliud est, quam satira in Clementis XI. Bullam *Unigenitus*, versibus composita Virgilianis. New memoirs of literature Tom. III. pag. 278.

Zoili Virgilii.

Ex Quintiliano constat, Rhetores olim *declamationum* argumenta depromsisse e Virgilio, et in scholis suis proposuisse. Sic *Titianus* et *Catulinus* s. *Calvus*. themata ex Marone elicuerant et conformaverant ad dicendi usum, et in exempla controversiarum diduxerant, ut refert Servius in X. Aeneidos v. 18. qui, ab *Avieno* iambis etiam scriptas Virgilii fabulas, auctor est ad X. 272.

Neque Zoilos suos Virgilio defuisse constat, de quibus, ne memorem, quae in Marone reprehendit *Polycarpus Lyserus* in prolusione[2] de

1 Aub. Miraeus de Scriptoribus seculi XVII. p. 275. edit. a me curatae. Iac. Quetif et Iac. Echard in Bibl. scriptorum Ordinis Praedicator. Tomo II. pag. 598.

2 Annal. Academiae Helmst. semestri XI. p. 55.

acuminibus spuriis in arte poëtica vitandis, Helmstad. 1725. 4. ac ne aliis recentioribus exemplis insistam, consulenda Virgilii vita lectu inprimis digna, quae Ti. Donato tribuitur. In ea memoratur etiam *Asconii Pediani* liber adversus Virgilii obtrectatores scriptus, quorum unus Carvilius Pictor scripto suo titulum praefixerat *Aeneidomastix*. De Zoilis Virgilii Servius ad Eclog. VII. *Multi volunt in hac Ecloga esse allegoriam, ut Daphnis sit Caesar. Corydon Virgilius. Thyrsis, qui vincitur, Virgilii obtrectator scilicet, aut* Bavius, *aut* Anser, *aut* Maevius, *pessimi poëtae*. Item in Georg. I. *Sane reprehensus Virgilius dicitur a Bavio et Maevio hoc versu: Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat.* In vita Virgilii a Ti. Donato scripta inter eius obtrectatores etiam refertur *Cornificius*, qui, ut Zoilus Homeri, in proverbium abiisse videtur. Petrus Blesensis Epist. 92. *Scio*, inquit, *unde spiritum elationis conceperit, et quare vester Cornificius intumescat.* Sed omnium Virgiliomastigum frontem magis ferream habere se *Io. Harduinus* testatus fuit, cum scripsit, Aeneidem ab inimicis religioni Christianae nebulonibus suppositam fuisse a C. 1232. Vide eius Opera[1] varia Amst. 1733. fol. edita, p. 282. sed eum bene refutarunt *Mathurinus Veissierius de la Croze* in Vindiciis vett. script. adversus Harduinum, et *Christoph. Saxius* peculiari disputatione.

1 *Bibl. raisonnée* Tom. XI. p. 452.

SORTES Virgilianae. et alia quaedam.

Alii vicissim Virgilium coluere ad superstitionem usque, uti rarus solet esse in plerisque mortalibus vel amoris et admirationis, vel odii modus. Sic iam olim non defuit scriptor Anonymus in Edmundi Martene nova collectione veterum monumentorum T. III. p. 905. qui *inconvincibilem reprehensionibus* contendit Maronem: perinde ut patrum nostrorum memoria Franciscus Macedo Mantuae defensitavit publice, nihil omnino exstare in Virgilio quod reprehensionem admittat, *che nulla v'era di riprensibile nel poëma sobrumano di Virgilio.* Idem addidit, sese argumenta opponentibus extemplo responsurum quocunque vellent carminis genere. *Et quidquid pergam dicere, versus erit.* Fecitque id versibus heroicis, sapphicis, adoniis, asclepiadeis, aliisque. Vide Sancassani continuationem Bibliothecae volantis Cinellianae Tom. XIX. p. 44. Quis vero non miretur, ex Virgilii poëmatis, velut ex oraculis, sortes lectas in rebus maximi momenti, cuius rei plura exempla collegit Ant. van Dalen de Oraculis pag. 301. sq. edit. sec. Sed omnem admirationem superant recentia Christianorum hominum exempla, quae leguntur in Memoriis Iacobi Welwoodi. Nam illud quidem fabulis adscripserim, quod Loiola dicitur malum daemonem ab homine expulisse pronuntiato versu Virgilii IV. Aen. 165. *Speluncam Dido, dux et Troianus eandem Deveniunt.* — In praefatione ad Scaligeriana an. 1667. edita legas: *Virgilii*

speculum, et quidem intra sacra monumenta. Dionysiani in agro Parisiensi monachi non sine risu visendum praebent. Sic Italos Petrarchae sui non modo tumulum, aedesque, sed et urceum et sedile, immo et domesticae felis sceleton cadaver, aliasque, nescio quas, eiusdem farinae quisquilias magna pompa peregrinantibus ostentare refert Iac. Phil. Thomasinus libro, quem de divini poëtae rebus composuit. E recentioribus Virgilium adversus insectatores defensitavit praeter Iovianum Pontanum Angelus Decembrius libro secundo politiae literariae, et Franc. Campanus in quaestione Virgiliana, Bononiae, Mediolani, et Parisiis 1581. 8. edita, per quam absolvitur poëta a negligentiae crimine, quod Varus, Tucca, aliique ei olim impegerunt. Virgilius defensus, qui lucem vidit Leodii 1685. 8.[1] complectitur defensionem certaminis Aeneae cum Turno, Mambruno oppositam. Tarquinii Gallutii S. I. Virgilianae vindicationes, cum diss. de Tragoedia, Comoedia et Elegia Rom. 1621. 4. Penitus edidicisse eius poëma Adamus Sasbouthus traditur, ita ut totos XII. Aeneidos libros a capite ad calcem posset citra haesitationem e memotia reddere. Sic Tacitum saepius lectitando familiarem sibi reddiderat Lipsius, et T. Livium Buchananus. Natalium Virgilii recentiore memoria celebratorum vestigia, ne de Sannazario, A. Naugerio,[2] Lotichio et C. Kinschotio iam memorem, exstant in

1 *Nouvelles de la Rép. des lettres* 1685. p. 559.

2 Naugerius dicitur recurrenti Virgilii natali, velut eius manibus inferias, inficetorum quorundam poëtarum carmina infelicibus ustulanda flammis immolasse.

poëmatibus Eobani Hessi pag. 468. et 497. et in Nic. Heinsii adoptivis pag. 114. nec non in poëmatibus Dav. Hoogstratani pag. 249. qui a. 1707. cum Franc. Hesselio et Corn. van Arckel Latino carmine, ut Belgico I. Sudermannus et I. de Haes, genethliacon Maronis condecoravit. De veterum poëtarum studio consimili testantur haec Martialis XII. 68. *quae magni celebras Maronis Idus*, et illa Plinii III. Epist. 7. ubi de Silio: *Virgilii natalem religiosius quam suum celebrabat.*

VIRGILII alii.

Fuit et Virgilius quidam Tragoedus sub Nerone Imp. cuius meminit Scholiastes Persii ad Sat. V, 9. Sed et Virginius Romanus, poëta Comicus, sub Traiani imperio clarus, cuius apud Plinium lib. VII. Epist. 21. mentio occurrit, a Lilio Gyraldo, Petro Crinito, Glandorpio et Vossio Virgilius appellatur. Virgilii *Arelatensis* Episcopi meminit Hincmarus Remensis Tom. II. pag. 731. De illo Acta Sanctorum V. Martii, Tom. I. p. 398. sq. Virgilii Hiberni Episcopi *Salisburgensis*, qui a. C. 785. obiit, epitaphium habes apud Mabillonium Tom. IV. Analect. p. 527. Glossarium eius et liber de antipodibus memoratur a Iac. Waraeo. De illo Virgilio Carinthiae Apostolo plura apud H. Canisium Tom. II. Antiquar. Lect. p. 257. sq. Marium Hansizium S. I. Tom. II. Germaniae sacrae p. 77. sq. Iac. Usserium in Epistolis Hibernicis ad Epist. XVI. Baelii Lexicon Tom. III. p. 2977. Thomasische Bibliothek Tom. I. p. 944. etc. Fuit

et *Ioannes de Virgilio*. Bononiensis, circa a. C. 1314. cuius Chronicon regni Catholici Ecclesiae Rom. memorari video. Praetereo recentiores, ut *Polydorum Virgilium Urbinatem*. libris VIII. clarum, quos scripsit de rerum inventoribus, et historiae Anglicae libris XXVII. qui a primis gentis temporibus in obitu regis Henrici VIII. a. C. 1509. desinunt; *Marcellum Virgilium* Florentinum, interpretem Dioscoridis; *Benedictum Virgilium* Aprutinum, poëmatis Italici de Ignatio Loiola auctorem, Alexandro VII. Pontifici acceptum; *Antonium Virgilium* Ictum Siculum; *Virgilium Ceparium* S. I. qui a. 1631. Romae diem obiit, et de quo Sotwellus p. 783. *Virgilium Gleissenbergium* poëtam, cuius Boleslaidem supra memoravi.

INDEX EDITIONUM
P. VIRGILII MARONIS
FABRICIANO
ADHIBITIS HEYNII, HARLESII
NOVISQUE CURIS AUCTIOR
ET IN QUINQUE AETATES DIGESTUS.

AETAS I. 1467. l. 1469-1500. *NATALIS.*

Quam Harlesius *mythicam* dici vult. » Ex omni enim, iudicante Ill. *Heyno*, editionum sec. XV. vulgatarum numero paucae a viris doctis critica cum cura et subtilitate excussae sunt; unde fit, ut nec satis exploratum sit, sitne aliquid ex nonnullis earum utilitatis et fructus ad Virgilium exspectandum; utque nec accurate definiri possit, quaenam ex iis inter principes et ex membranis descriptas habendae sint, aut quae aliarum familias duxerint. Etsi, si quidem ex iis licet iudicare, quas ipse inspexi, iusta ominandi causa subest, ut nunc habemus Virgilium ad Codd. constitutum, parum aut nihil bonae frugis inde ad nos rediturum esse: quae ipsa res revocavit me, quo minus in iis, quae ad manum erant, excutiendis essem nimis sedulus. Quantum tamen adhuc curatiore opera ac studio perspicere potui, a *Venetis cum Servii commentario* exaratis primo Virgiliana lectio fuit constituta, ut per plures editiones continuaretur. Nam conveniunt fere inter se ad eandem lectionem propagandam Venetae cum Servii, tum cum Landini aliorumque commentariis vulgatae. Cum iisdem consentire visae sunt *Kobergiana* 1492. *Argentina*

1502. utraque inter meliores referenda. *Daventrienses* et *Parisienses* in scholarum usum paratae esse videntur. « Hactenus *Heynius*. Princeps curator Virgilii est *Io. Andreas* Episc. Aleriensis, qui Romanae I. et seq. praefuit; Mediolanensis I. *Boninus Mombritius*, quem secutus est *Ant. Zarottus*, et Parisinarum *Paulus Malleolus*: ceteri diserte non memorantur. Aeneidi Virgilianae de suo addidit Librum XIII. *Maphaeus Vegius*, iam in Veneta II. illi iunctum. *Servius*, anno 1471. primum editus, emendatores invenit *Ludovicum Carbonem*, *Baptistam Guarinum*, *Petrum Cenninum*, *Ioannem Calphurnium*, et *Phil. Beroaldum*. Veteribus Commentatoribus *Servio* et *Donato* iunxere se recentiores *Christophorus Landinus*, *Domit. Calderinus*, *Iulius Pomponius Sabinus* (alias *Laetus*,) *Antonius Mancinelli*, et *Herman. Torrentinus*.

. . . . *Editio princeps* s. Romana I. ex recognitione et cum praefatione Io. Andr. Episcopi Aleriensis. Romae, per *Conradum Sweynheim* et *Arnoldum Pannartz*, in domo Petri et Francisci de Maximis. fol. sine anni nota.— Hanc editionem, ex Codice parum emendato profectam, ante exitum a. 1469. publicatam esse docent Lairius in Specim. typogr. Rom. pag. 147. et Guil. Burius in Catal. bibl. Ducis de la Valliere. P. I. T. II. n. 2432. Insunt post praefationem Culex, Dirae, Copa, Est et non, Vir bonus et sapiens, de Rosis, Moretum, Versiculi poëtae *Nocte* etc. Versus in Balistam latronem, Versus Ovidii *Qualis* etc. Summa Virgilianae narrationis in Bucolicis, Georgicis et Aeneide, Bucolica s. Eclogae X. Georgicorum libri IV. Aeneidos libri XII. Versus Sulpitii Carthaginiensis *Iusserat* etc. Carmina Caesaris Augusti *Ergone* etc. et alia pauca. In fine versus seqq. leguntur referente Burio:

Adspicis illustris lector quicunque libellos
Si cupis artificum nomina nosse: lege.
Aspera ridebis cognomina teutona: forsan
Mitiget ars musis inscia uerba uirum.
Conradus suueynheym: Arnoldus pannartzque magistri
Rome impresserunt talia multa simul.

Petrus cum fratre Francisco maximus ambo
Huic operi aptatam contribuere domum.

Conf. Ill. *Heynium* de ed. princ. in praef. ad Virg. de Editt. p. CLXI. seq. ed. an. 1803. ab eoque laudatos, Clar. *Harlesium* in notitia lit. Rom. et Scriptt. Lat. P. II. pag. 297. et *Panzerum* in Annal. typogr. Tom. II. pag. 411. seq.

1470 *Veneta* I. fol. Opera. (scil. Bucolica, Georgica, Aeneis.) Venetiis, per *Vindelinum de Spira.* In fine subscriptos habet versus:

Progenitus spira formis monumenta maronis
Haec uindelinus scripsit apud uenetos.
Laudent ergo alii polycletos parrhasiosue
Et quosuis alios id genus artifices.
Ingenuas quisquis musarum diligit artes
In primis ipsum laudibus afficiet.
Nec uero tantum quia multa uolumina: quantum
Q. perpulchra simul optimaque exhibeat.
M. CCCC. LXX.

Conf. Burius in Bibliogr. instructiva n. 2659. et Crevenna in Catal. raisonné Vol. III. pag. 189. seqq. qui eam principem esse putarunt.

. . . . *Romana* II. ex recognitione Io. Andreae Episcopi Aleriensis, per *Conradum Sweynheim* et *Arnoldum Pannartz*, et cum duplici praefatione Io. Aleriensis, altera ad Paulum II. et altera ad Pomponium Laetum. s. Infortunatum, ex cuius Codice antiquissimo, maiusculis characteribus scripto, poëmata tum Virgilii, tum alia, quae adhaerent, iam exhibuit castigatiora. In fine iidem leguntur versus, qui in Romana prima:

Adspicis illustris lector etc.

fol. sine nota anni, sed circa an. 1471. impressa. Panzer Tom. II. pag. 425 seq.

1471 *Veneta* II. Bucolica, Georgica, Aeneis, cum XIII. libro Maphaei Vegii. s. l. Venetiis, per *Adamum Rot.* fol. In fine:

Minciadae quicunque cupit cognoscere vatis
Carmina, seu quisquis Vegi simul optat habere
Me legat: aut fratris parvo numerosa iuventus
Uno eodemque sumus pressi sesquisque locoque
Non Solomon neque Hyram non Daedalus atq. Sibylla

Digitized by Google

Graecia non omnibus sapientibus inclyta q. q.
Non armis Roma potens aequandaque Divis
Gloria iactavit tali sese arte decoram.
Nos igitur peperit patrem qui nomine primum
Retulit alter ADAM: *formis quos pressit ahenis.*
MCCCCLXXI.

Conf. Lairium in Spec. typogr. Rom. p. 169. Audiffred. pag. 91. et Panzer Tom. III. pag. 83.

——Bucolica, Georgica, Aeneis, cum libro XIII. Maph. Vegii, Culex, Dirae, Copa, Est et Non, de Rosis, Moretum et Priapeia. fol. s. l. et typographo. In fine: *Finis. M. CCCC. LXXI.*

Cur hec sculpantur, quamvis obscena, requiris
Da veniam, sunt haec scripta Marone tamen.

Editionem praestantem et nitidam appellat Burius, qui de ea agit sub n. 2661. eamque superiori Adami Rot simillimam ab eodem artifice, sed, ob diversam orthographiae rationem, ex alio exemplari descriptam esse existimat.

Eodem anno 1471. *Servius* primo in lucem prodiit; et quidem plus simplici vice. Prima editio est Veneta Valdarferi Ratisbonensis:

——Servii Mauri Honorati Commentarii in Virgilium, a *Bapt. Guarino* olim emendati, a filio autem in lucem editi. Venetiis, per *Christophorum Valdarfer Ratisponensem.* fol. In fine:

Si quis in Italia bene pressa volumina quaerit,
Nulla quibus toto corpore menda sedet,
Hoc opus inspiciat: sunt exemplaria quippe
Emendata tua, magne Guarine, manu.
Edidit ille mei genitus Baptista Guarini
In lucem nullo tempore visa prius.
Quae pretio ingenti summisque laboribus empta
Christophorus potuit solus habere celer,
Sanguine Valdarfer, quem Ratispona creavit.
Inventoris opus lingua Latina probat.
M. CCCC. LXXI.

Panzer Tom. III. pag. 79. Heyne pag. CLXV. — Secunda:

——Servii Mauri Honorati Commentarii in Virgilium, a *Lud. Carbone* emendati. Venetiis, impensis eiusdem *Valdarferi.* fol. In fine:

In commune bonum mandasti plurima formis
Ratisponensis gloria Christophore:
Nunc etiam docti das commentaria Servi
In quibus exponit carmina Virgilii.
Divulgasque librum qui rarior esse solebat
Ut parvo pretio quisque parare queat.
Hunc emite, o Iuvenes: opera Carbonis ad unguem
Correctus vestris serviet ingeniis.
MCCCCLXXI.

Panzer ibid. — Tertia:

——Mauri Servii Honorati Grammatici ad Virgilii Opera diligens Interpretatio. *Ferrariae, per Andream Gallum.* fol. — Unius Orlandi testimonio nititur haec editio, a nemine alio adhuc visa: itaque de ea dubitatur. Panzer Tom. I. pag. 393. — Sequitur editio Romana Udalrici Han:

. . . . *Mauri Servii Honorati Grammatici in tria Virgilii opera expositio incipit. et primo in Bucolica.* Haec in fronte. In fine:

Anser Tarpeii custos Iovis etc.
Udalricus Gallus: ne quem poscantur in usum
Edocuit pennis nil opus esse tuis.
Imprimit ille die: quantum non scribitur anno
Ingenio. haud noceas. omnia vincit homo.

fol. s. n. a. sed a Panzero ad an. 1471. relata. — Quinta est editio Florentina:

1471 et 1472 M. Servii Honorati Commentarii in tria Virgilii Opera, Bucolica, Georgica et Aeneidem. Accedit eiusdem ad Aquilinum de natura syllabarum libellus. *Florentiae, per Bernadum et Dominicum Cennini Florentinos.* fol. In fine totius operis inter alia haec leguntur: *Petrus* (Cenninus) *Bernardi F. emendavit, cum antiquissimis autem multis exemplaribus contulit. In primisque illi cura fuit: ne quid alienum Servio adscriberetur, neu quid recideretur, aut deesset: quod Honorati esse pervetusta exemplaria demonstrarent.* Plura vide apud Panzerum Tom. I. pag. 404. coll. Tom. IV. pag. 298. Initium excudendi factum VII. Id. Nov. 1471. et finis Non. Oct. 1472. Nulla autem quinque harum Servii editionum textum Virgilii adiectum habet.

1472 *Veneta* III. — Opera. (Bucolica, Georgica, Ae-

neis.) Venetiis, per *Leonardum Achatem.* fol. In fine:

Urbs Basilea mihi, nomen est Leonardus Achates:
Qui tua compressi carmina, dive Maro.

Anno Christi humanati MCCCCLXXII. Venet. Duce Nicolao Trono. — Varietatem lectionis ex ea exhibuit Maittairius in fronte editionis Virgilii Tonson. 1715.

——*Veneta* IV. Opera (Buc. Georg. et Aen. cum reliquis opusculis, et cum Priapeiis et libro XIII. Aen.) *Venetiis*, per *Bartholomaeum Cremonensem.* fol. In XIX. foliis, quae in fronte praefixa sunt, tabula librorum, vita Virgilii, cum quibusdam epigrammatibus tam Virgilii, quam de Virgilio, praemittitur. Sequitur Summa Virgilianae narrationis, et hexastichon:

Quem legis: impressus dum stabit in aere character
Dum non longa dies vel fera facta prement.
Candida perpetuae non deerit fama Cremonae
Phidiacum hinc superat Bartholomeus ebur.
Cedite chalcographi: millesima vestra figura est.
Archetypas fingit solus at iste notas.

M. CCCC. LXXII. Nicolao Truno Principe Venetiarum regnante, quae in hoc volumine continentur, foeliciter impressa sunt. — Panzer Tom. III. pag. 91.

——Opera (c. opusculis et Priapeiis) fol. sine loco et artifice impressionis, nisi quod *B. H.* subnotatum sub finem est; unde credimus fuisse *Benedictum Herculem*, typographum Ferrariae. Vulgo tamen ab *Ant. Zaroto* Mediolani confecta creditur. In primi folii pagina 1. legitur: *Lector, si Virgilii vatis eminentissimi opera legere cupis: haec maiestatem antiquitatis redolentia perlege: nec quicquid in his emendandis, corrigendis, castigandisque operibus Romana Venetaque lima poliverit, terserit, et ad suum redegerit nitorem, perspicuum est: sed diligens ista sedulitas: et criticorum censura discedat: cessetque nimis affectata castigatio: cum ab ipsis propriis Maronis exemplaribus: quae Romae in aede divi Pauli reposita sunt: integrum, purum nitidumque opus hoc effluxerit natumque sit: si vis certior fieri: id legito. Vale. B. H. Anno incarnationis dominicae M. CCCC. LXXII.* — Editio rarissima,

de qua conf. Ill. Heynius pag. CLXVII. et Panzer Tom. II. pag. 13.

——Opera. (Bucolica, Georgica, et Aeneis cum supplemento Maphaei Vegii) per *Iacobum, Baptistam* et *Alexandrum* Fivizani. fol. min. oblongo. In fine:

Sculpserunt docti manibus sed pectore firmo
Carmina uirgilii uatis super aethera noti
Iacobus existens primus: baptista sacerdos
Atque alexander comites in amore benigni.
Qui fiuizani uiuunt super oppida digni.
M. CCCC. LXXII.

Primus huius editionis notitiam dedit Laire Ind. I. pag. 292. tanquam Venetiis a Fivizanis curatae: sed in oppido Fivizani, ditionis Toscanae, haud longe a Lunae finibus, exaratam esse docuit Fossi Cat. Codd. biblioth. Magliab. Tom. II. pag. 797.

1473 *Veneta* V. repetitio tertiae. fol. — Venetiis, per *Leonardum Achatem.* Vid. Catal. bibl. Ducis de la Valliere, Tom. II. num. 2434. In calce Aeneidos legitur:

EXPLICIT. LIBER XII.
P. MARONIS. VIRGILII. VITA. EX: SERVIO.
DONATO: QUINTILIANO. AGELIO. ET. RELIQUIS.

Vitam sequitur: *Galli Cornelii ad Oct. de morte Virgilii:* et *Oct. Au. Ce. Res.* Cuius in fine subscriptum est distichon, quod ad primam Achatis an. 1472. retulimus. Tum legitur: *Anno Christi humanati. M. CCCC. LXXIII. Venet. Duce Nicol. Marcel.* Sequuntur Catalecta, cum subscriptione: *Finis. M. CCCCLXXIII.* — Panzer Tom. III. pag. 97.

——*Brixiensis* I. Opera. (Bucolica, Georgica, Aeneis.) fol. In fine: *Brixiae Maronis opera expressa fuere presbytero petro uilla iubente die uigesimo primo aprilis MCCCCLXXIII.* — Panzer Tom. I. pag. 243. Est primus liber Brixiae prelo excusus.

——*Romana* III. Opera, cum Moreto, Priapeiis, Copa, Culice etc. fol. In fine: *Presens hec Virgilii impressio poëte clarissimi in alma urbe Roma facta est — non atramento, plumali calamo neque stylo aereo, sed artificiosa quadam adinventione imprimendi seu characterizandi opus sic effigiatum est ad Dei laudem industrieque est consummatum per Udalricum Gallum et Si-*

monem de Luca. Anno domini MCCCCLXXIII. die vero IV. Novembris. Pontificatu vero Sixti divina providentia quarti anno eius tertio. — Panzer Tom. II. pag. 440.

1474 *Mediolanensis* I. fol. Opera (c. Maphaei suppl. Copa, Moreto et al. Opusc.) per *Philippum de Lavagnia.* In fine: *Mediolani impressum per Magistrum Philippum de Lavagnia MCDLXXIV. die XIV. Iunii.* — Quam curaverat *Boninus Mombritius.* Conf. Fontanini hist. litt. Aquilei. p. 40. Variantes lectt. ex ea excerptas praefixit editioni Lond. 1715. Maittairius.

1475 *Veneta* VI. Opera. Praecedunt: Vita poëtae variaque illi supposita opuscula. In fine: *P. Virgilii Maronis opera feliciter finiunt. Venetiis insignita per Nicolaum Ienson Gallicum M. CCCC. LXXV.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 106.

——— *Veneta* VII. Opera cum Commentariis *Servii. Venetiis, per Iac. Rubeum Gallicum.* fol. Pro prima Servii editione falso olim, etiam a Fabricio habebatur. Dicendum erat, esse primam Servii Maronis carminibus subiuncti. — Panzer Tom. III. p. 110.

——— *Mediolanensis* II. Opera. fol. In fine: *Mediolani. Anno a Natali christiano milesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Octavo Kalend. sextilibus P. Virgilii Maronis partheniae Opera omnia diligenter emendata: diligenter impresa sunt ab Antonio Zarotho Parmensi: qui quidem artifex egregius propediem multo maiora de se pollicetur.*

Vos oh felices cupitis qui plurima scire:
Nummorum quibus est: copia parva domi.
Hactenus ille magis sapiens: cui copia maior
Librorum: nunc cui promptius ingenium.

— Repetitio ed. Mediolanensis an. 1474. Panzer Tom. II. pag. 20.

——— *Mauri Servii Honorati* Commentarii in Bucolica, Georgica et Aeneidem Virgilii. In fine: *Anno a Natali christiano millesimo quadringentessimo septuagessimo quinto Kalendas decembribus Diuo Galeacio maria sforcia uicecomite Mediolani duce quinto florente hoc opus non indiligenter est impressum.* fol. Char. rom. Ant. Zaroti. — Panzer Tom. II. pag. 21.

——Opera, cum Copa, Moreto, Diris etc. *Mutinae.* fol. In fine: *Mutinae impressum per Magistrum Iohannem Vurster de Campidona anno D. MCCCCLXXIIIII. die vicesima tertia Mensis Ianuarii.* — Panzer Tom. II. pag. 146.

——Bucolica et Georgica. *Lovanii.* fol. min. In fine: *Bucolicorum, Georgicorum et quorundam tractatulorum opus insigne Virgilii poëtarum principis Ioannes de Paderborne in Westfalia alma in universitate Lovaniensi residens suo proprio signo consignando feliciter consummavit anno incarnationis dominicae 1475. mensis novembris die vicesima nona.* — Panzer Tom. I. pag. 512. Conf. Heyne pag. CLXIX. seq.

1476 *Mediolanensis* III. Opera omnia et opuscula — *diligenter emendata et accurate impressa sunt anno a natali Christiano millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto XIII. Kalen. Octobres ab Antonio Zarotho Parmensi* etc. fol. — Videtur et haec ad exemplum Lavagniae 1474. expressa esse. In utraque certe Ciris omissa. — Panzer Tom. II. pag. 24.

——*Vicentina* I. Opera, cum Catalectis et Priapeiis. In fine: *P. Virgilii Maronis opera foeliciter finiunt Vincentiae insignita per Ioannem de Vienna, anno Domini M. CCCC. LXXVI.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 510.

——*Venetam* huius anni laudat Martinus ad Georg. III. 468. quae forte eadem est cum Veneta superioris anni, aut repetita est hoc anno editio per Nic. Ienson: quod colligo e Catalogo Constantiensi. Editionem eiusdem anni consuluisse fertur Cuninghamus, teste ed. Edinburg. Praef. Nec Panzero plura innotuere Vol. III. pag. 121. *Heyne* pag. CLXX.

——Aeneis. *Lovanii per Ioan. de Paderborne in Westfalia 1476. mensis Aprilis die octava.* fol. min. — In subscriptione ad calcem typographus narrat, se inter versus spatia reliquisse glossulis inserendis, non parva data opera ut eum (poëtam) aliis emendatiorem et melius punctis distinctum redderet. Panzer Tom. I. pag. 512.

1478 *Parisina* I. — Opera, cum epistola *Phil. Beroaldi.* In fine: *P. Virgilii Maronis vatis eminentissimi volu-*

mina haec diligentissime castigata una cum vita eiusdem Parisius impressa sunt per Magistrum Udalricum Gering anno salutis M. CCCC. LXXVIII. mense Septembris. fol. min. — Operam in emendanda hac ed. locaverat Paul. *Malleolus*, Prof. Eloq. Paris. sed ob characteris deformitatem et immensam erratorum copiam, ipse eam reprobaverat. Itaque mox an. 1498. nova editio Parisiis fuit adornata, de qua vid. infr.

——— *Mediolanensis* IV. Operum. In fine: *Hoc P. Virgilii Maronis Opus Dei auxilio et Alamanorum industria impressum est feliciter Mediolani impensis Magistrorum Leonardi Pachel de Engelstadt* (Ingolstadt) *et Ulrici Scinzenzeler anno MCCCCLXXVIII. tertio Idus Maii regnantibus Illustrissimis Mediolani Principibus Io. Galeaz Maria Sfortia Vicecom. et Bona Ducissa eiusdem Ducis genitrice invictissima. Ad omnipotentis laudem, totiusque Curiae coelestis gloriam, et generis humani utilitatem. Amen.* fol. — Panzer Tom. II. pag. 33.

1479 *Parmensis.* Opera, cum Copa, Moreto, Diris, De est et non est, De Rosis, Culice, Priapeiis, De Herculis laboribus, De litera y, De Fortuna, De Orpheo. In fine: *Impressum parmae opera et impensis Andreae Portiliae Anno Domini MCCCCLXXIX. Quarto Idus Maii.* fol. — Panzer Tom. II. pag. 352.

——— *Vicentina* II. Opera, cum commentariis Servii. Praefixa est Io. Calphurnii epistola ad Hieronymum Portensem, ex qua patet, operam eius fuisse inprimis in Servio collocatam, quem *valde mendose factum, et a quodam eius temporis homine erudito ineptiis additis coinquinatum purgasse.* In fine huius epistolae: *Hoc opus exactissima cura et eruditione Ioannis Calphurnii uiri doctissimi recognitum Leonardus de Basilea Vincentiae diligentissime impressit Anno a nativitate domini nostri Iesu Christi MCCCCLXXIX.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 512. Heyne pag. CLXXI.

1480 *Veneta* VIII. Operum, cum commentariis Servii, vita Poëtae, et Libro XIII. Maphaei Vegii. In fine: *Omnia haec volumina — mira quadam arte ac diligentia impressa sunt per Iacobum Rubeum natione Gallicum. Anno Domini M. CCCC. LXXX. mense Ianua-*

rii. Petro Mozanigo inclyto Duce Venetiarum. fol. — Panzer Tom. III. pag. 154.

——*Veneta* IX. Operum, cum comentar. Servii. In fine: *Impressum Venetiis, mira arte et diligentia Petri Piasii Cremonensis, Bartholomaei Blauii de Alexandria et Andreae Torresani de Asula. An. Dom. MCCCCLXXX. die prima Augusti.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 157.

1481 *Mediolanensis* V. P. Virgilii Maronis volumina diligenter emendata. *Mediolani, per Antonium Zarotthum, opera et impendio Iohannis Legnani. Anno Domini MCCCCLXXXI. die XX. Ianuarii. Finis.* fol. — Panzer Tom. II. pag. 41.

——Bucolica, Georgica, Aeneis, Catalecta, Priapeia. Georgica et Aeneis cum argumentis. In fine: *Impressum parme. Anno d. M. CCCC. LXXXI. tertio Kl'a Martias.* fol. — Panzer Tom. IX. pag. 269.

——*Mediolanensis* VI. Opera et opuscula, cum Priapeiis. In fine: *Volumina haec summa cum cura emendata Leonardus Pachel una cum Udalricho Scincxeller, eius socio, impressit an. Domini MCCCCLXXXI. IX. Kal. Sept. Mediolani.* fol. — Panzer Tom. II. pag. 43.

1482 *Veneta* X. Opera, cum commentariis Servii et Vita poëtae. In fine: *P. Virgilii Maronis vatis eminentissimi: Volumina hec Vna cum Servii Honorati grammatici commentariis: Ac eiusdem poëte vita Venetiis impressa. Per Magistrum Renaldum de Nouimagio theotonicum. Anno Domini Millesimo CCCC. LXXXII. Die XXVII. Septembris.* fol. — Subiecta habet Catalecta et Maphaei lib. XIII. Lectionem sequitur vulgatam editionum superiorum. Memoratur Panzero Tom. III. pag. 179.

——*Mediolanensis* VII. Opera et opuscula. In fine: *P. Virgilii Mar. volumina haec summa cum diligentia emendata Mediolani Antonius Zarothus imprimi curavit impendio Iohannis Legnani anno Domini MCCCCLXXXII. Octavo Kalendas Maias.* fol. — Repetitio editionis 1481. Panzer Tom. II. pag. 44.

——Bucolicon liber ad C. Asinium Pollionem, Georgica, Aeneis, et opuscula. In fine: *Impressa sunt haec Maronis Opera Regii Lepidi cura et impensis Alberti*

de Mazalibus Regiensis Anno salutis MCCCCLXXXII. x. Kale. Aprilis. 4. — Panzer Tom. II. pag. 393.

——— Opera, cum commentariis Servii. In fine: *Maronis opus cum Serui honorati enarratione. impressum anno MCCCCLXXXII. die 13. nouembris.* fol. sine loci nota. — Panzer Tom. IV. pag. 28.

1483 *Veneta* XI. P. V. M. Bucolica, Georgica, Aeneis, c. comm. Servii; et eiusdem Opuscula, cum enarrationibus Domitii Calderini; P. Virgilii Mar. ad Priapum, et Priapeia cum aliis. *Impressum MCCCCLXXXIII. die XV. Decembris Venetiis per Baptistam de Tortis.* fol. — In hac ed. Domitii enarratio primo occurrit, in opuscula minora scilicet, ad Culicem, Cirin et alia. Heyne pag. CLXXIII. Panzer Tom. III. pag. 197. Differunt vero exempla huius libri. Sunt, in quibus post annum impressionis legitur: *die primo octobris;* eaque non habent Domitii enarrationem: quae, divendita iam parte editionis, reliquae a librario videtur addita, mutata simul mensis nota. Conf. Panzer Tom. XI. pag. 340.

1484 *Brixiensis* II. Opera cum Servii commentariis. In fine: *P. Virgilii Mar. vatis eminentissimi Volumina haec una cum Servii Honorati Grammatici Commentariis ac eiusdem poëtae vita Brixiae impressa sunt per Boninum de Boninis de Raguxia Octobris die VII. MCCCCLXXXIV.* fol. — Panzer Vol. I. pag. 245.

——— *Veneta* XII. Opera, cum Servii commentariis. *Impressum Venetiis per Tomam de Alexandria MCCCCLXXXIV. die XXV. Decembris.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 206.

1485 *Brixiensis* III. Operum, cum commentariis Servii. In fine: *Impressum Brixiae per Iacobum Britannicum Brixianum. MCCCCLXXXV. die XXII. Augusti.* fol. — Convenit cum ceteris, inprimis Venetis, quae Servium habent. Panzer Tom. I. pag. 247.

1486 *Veneta* XIII. Opera (cum lib. XIII. Aeneidos, et opusculis, inter quae et Ciris) cum commentariis Servii. In fine: *P. Virgilii Maronis Volumina haec una cum Servii Honorati Grammatici commentariis et eiusdem poëtae vita Venetiis impressa sunt per Antonium Bartholomei impressorum discipulum. MCCCCLXXXVI. mense Octobris.* fol. — Est haec editio

ex nitidissimis, teste ill. Heynio; verum ad verbum et ad paginam expressa ex ed. Vicentina 1479.

1487 *Pomponii*, doctissimi viri, Interpretatio in Aeneide Virgilii. Praecedit Epistola Dan. Gaietani, Petro Mannae inscripta. In fine: *Impressum Brixie per Boninus* (sic) *de Bouinis* (sic) *de Ragusia. Anno X. M. CCCC. XLXXX.* (sic) *die v. mensis Februarii.* Accedit: *Pomponii* grammatici eruditissimi in Culicem Commentarium: quod sequuntur Commentaria in alia eiusmodi poëmatia Virgilio tributa, cum Comment. in opus Bucolicorum, ac postremo in opus Georgicorum. In fine Georgicorum: *Impressum Brixiae per Boninum de boninis de Ragusiae* (sic) *M. CCCC. LXXX. VII. die XVIII. mensis Februarii.* fol. — De hac Pomponii Laeti interpretatione, si quidem eius est, videndus ill. Heyne pag. CLXXIV. seqq. Memoratur Panzero Tom. IV. pag. 257. seq.

——— *Florentina.* P. Virgilii M. Opera, cum commentariis Servii Mauri Honorati et Christoph. Landini. (Adiuncta quoque sunt carmina minora, ultimo loco Moretum. In Aeneida quoque epitome Donati est inserta.) *Florentiae MCCCCLXXXVII. XV. Kalendas Aprilis.* fol. — Panzer Tom. I. pag. 414.

——— *Veneta* XIV. Opera, cum Servii commentariis. *Venetiis, per Baptistam de tortis MCCCCLXXXVII. die XXIII. Maii.* fol. — Repetitio, ut videtur, editionis 1483. sine Domitii tamen commento. Panzer Tom. III. pag. 242.

——— *Veneta* XV. Opera, cum Servii commentario. In fine: *Impressum Venetiis per Bernardinum Benalium MCCCCLXXXVII. die XXII. Augusti.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 243.

——— *Mediolanensis* VIII. Opera, cum comment. Servii. In fine: *Impressum Mediolani per Leonardum Pachel et Uldericum Scinzenzeller MCCCCLXXXVII.* fol. — Panzer Tom. II. pag. 55.

1488 Bucolica. *Daventriae.* 4. — Fabric. Bibl. Lat. Vol. II. pag. 231.

——— *Veneta* XVI. Opera, cum Servii commentariis. Ad cuius calcem legitur: *Impressum hoc opus Venetiis per Magistrum Andream de Palthascichis Catharensem*

MCCCCLXXXVIII. Kal. Sept. fol. — Convenit cum Veneta 1487. Subiecta quoque carmina minora. Panzer Tom. III. pag. 251.

1489 *Veneta* XVII. Bucolica, Georgica, Aeneis, cum Comment. Servii, Donati, Landini et Calderini; Vegii lib. XIII. Aen. Catalecta etc. cum Comment. Calderini. *Venetiis, per Georgium Arrivabenum Mantuanum. Anno MCCCCLXXXVIIII. quinto Cal. Quinctil.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 274.

——*Parisina* II. Opera, *a paulo adelocen. exactissime emendat. parisiisque in vico sorbonico impress. MCCCCLXXXIX. XII. Kal. Decembr.* 4. — Panzer Tom. II. pag. 292.

——Bucolica cum Georgicis. *Daventriae per Richard. Pafraet.* 4. — Panzer Tom. I. pag. 357.

——*Phil. Beroaldi* Bononiensis Annotationes in Commentarios Servii, Virgiliani Commentatoris. *Florentiae impr. Ant. Mischominus.* 4. — Panzer Tom. I. pag. 415.

1490 *Mediolanensis* IX. Opera, cum commentariis Servii, Donati, Landini et Calderini. *Mediolani per Uldericum Scinzenzeller.* fol. — Panzer Tom. II. pag. 62.

——Bucolica et Georgica, cum commentariis Ant. Mancinelli Veliterni. In fine: *Impressum est opus Romae summa diligentia per Eucharium Silber alias Franck: absolutumque die vicesima Octobris Anno domini MCCCCXC.* fol. — Panzer Tom. II. pag. 499.

1491 *Veneta* XVIII. Opera, cum commentariis Servii, Donati, Landini et Calderini. In fine: *Impensis atque diligentiori cura Lazari de Saviliano impressa Venetiis: Anno natalis dni. M. CCCC. LXXXXI. Tertio Nonas Ianuarii.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 307.

——*Veneta* XIX. Opera et lib. XIII. Maphaei Vegii, cum commentario Servii et in minora poëmatia Domitii Calderini. Praemissa est Christoph. Landini praefatio. *Venetiis per Bartholomaeum de Zanis de Portesio.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 303.

——*Veneta* XX. Vergilius cum quinque commentis. In fine Georgicorum: *P. Vergilii Maronis Bucolicorum et Georgicorum libri — Venetiis per Philippum pintium*

Impressi Anno incarnationis Domini M. CCCC. XCI. die XXVIII. Decembris. Ad calcem totius operis: *Impressum Venetiis Anno domini MCCCCXCI. Die* (sic) *Decimo Octobris.* fol. — Quinque illa commenta, saepius hinc repetita, sunt Servii, Donati, Landini, Mancinelli, Domitii Calderini. Ducit igitur ordinem editionum cum quinque Commentis. Panzer Tom. III. pag. 307. Alia Veneta an. 1492. cum quinque Commentis exstat in Bibl. Acad. Erlangensi, teste Harlesio in Suppl. ad brev. Not. lit. Rom. P. I. pag. 364. quae quidem in fine Georgicorum eandem plane habet subscriptionem, quae legitur in ed. 1491. sed ad calcem totius operis diserte scriptum: *Impressum Venetiis Anno domini MCCCCXCII. Die Decimo Octobr.* Atque hoc verius exaratum videtur, quia Bucolica et Georgica mense Decembri 1491. prelo exüsse dicuntur. Potest igitur eadem editio esse, quamquam exemplaria in nota anni ad calcem operis differunt.

1492 *Veneta* XXI. Opera, cum comment. Donati, Landini et Servii. *Venetiis, impensis Francisci de Gerardenghis de Papia, labore et industria Antonii Lambillionis. MCCCCLXXXXII. Non. Nov.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 325.

——— *Noribergensis.* Opera, cum comment. Servii, Donati, Landini et Calderini. In fine: *P. Virgilii Maronis opera cum Servii Mauri Honorati grammatici: Aelii Donati: Christophori Landini: atque Domitii Calderini: Commentario. Nurnberge impressa impensis Anthoni koberger Anno xpi MCCCCXCII. Laus omnipotenti Deo.* fol. — Panzer Tom. II. pag. 210. Est mera repetitio Venetae 1489. cum Landini commento.

——— Opera, cum variorum commentariis. *Lipsiae.* fol. — Panzer Tom. I. pag. 478.

——— Bucolica. *Daventriae.* 4. — Panzer Tom. I. pag. 360.

1493 *Veneta* XXII. Opera, cum commentariis quinque. In fine: *Impressum Venetiis per Bartholomaeum de Zanis de Portesio. Sub Ao. domini M. CCCC. LXXXXIII. die ultimo Iulii.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 339. Est repetitio Venetae XX.

1494 *Veneta* XXIII. Opera, cum comment. Servii. *Ve-*

netiis per Damianum de Mediolano MCCCCXCIV. die xv. Iunii. fol. — Panzer Tom. III. pag. 361.

——*Veneta* XXIV. Opera, cum commentariis Servii, Landini, Mancinelli, Donati et Domitii, cum Catalectis. *Venetiis MCCCCXCIV. die ultimo Septembris.* fol. s. n. typogr. — Panzer Tom. III. pag. 365.

——*Veneta* XXV. P. Virgilius cum commentariis quinque. Catalecta cum Domitii Calderini comment. In fine: *Impressum Venetiis per Bartolomeum de Zanis de Portesio sub anno domini M. CCCC. CXIIII.* (leg. *XCIIII.*) *die octavo Octobris.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 355.

——*Parisinam* in 4to. editionem huius anni laudat aliquoties Martinus ad Georg. III. 256. 435. IV. 391. quae sine dubio est Georgicorum tantum.

——Bucolica cum commentario (*Hermanni Torrentini.*) *Daventriae per Iacobum de Breda Anno MCCCCXCIIII. in profesto scti Willebrordi epi Traiecten.* fol. — Panzer Tom. I. pag. 362.

——Libri Georgicorum. *Lipsiae, per Arnoldum de Colonia.* 4. — Panzer Tom. I. pag. 481.

——Aeneis. In fine: *P. Virgilii Maronis Eneis opus insigne finit. Impressum Lyptzk per Arnoldum Coloniensem anno gratie MCCCCXCIIII.* 4. — Panzer ibid.

1495 *Veneta* XXVI. Opera, cum commentariis quinque, viz. Servii, Landini, Mancinelli, Donati, Domitii. In fine: *Impress. Venetiis per Bartholomeum de Zannis de Portesio, sub anno domini MCCCCXCV. die octavo Augusti.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 374.

——*Veneta* XXVII. Opera, cum commentariis Servii, Landini, Mancinelli, Donati et Domitii. Servii item errores suo loco castigati. Accedunt Carmina minora. *Venetiis a Philippo Pincio Mantuano Anno domini MCCCCXCV. die octava Augusti, cum privilegio ne quis audeat imprimere usque ad annos decem sub poena in eo contenta.* fol. — Et haec, et ed. antecedens, merae sunt repetitiones Venetae an. 1491. Panzer Tom. III. pag. 376.

——Bucolica, Georgica et Eneidos libri duodecim. In fine: *Publii Virgilii Maronis Eneis opus insigne finit: Impressum Heydelberge per Henricum Knoblotzer Anno*

gratie M. CCCC. XCV. 4. Char. goth. — Panzer Tom. I. pag. 459.

——Bucolica, cum commento. In fine: *Virgilii Maronis Carmen Bucolicon. Impressum Lypzk per Arnoldum de Colonia anno gratie MCCCCXCV.* 4. — Panzer Tom. I. pag. 484.

——Bucolica, cum commento familiari. *Parisiis.* 8. — Panzer Tom. II. pag. 310.

——Georgica. *Parisiis.* 8. — Panzer ibid.

1496 Georgica, cum commentario Hermanni Torrentini. *Daventriae, per Richard. Pafraet.* 4. — Panzer Tom. I. pag. 364. coll. Tom. IV. pag. 287.

1497 *Veneta* XXVIII. Opera, cum commentariis Servii, Landini, Mancinelli, Donati, Domitii. In fine: *Impressum Venetiis per Simonem papiensem dictum Bevilaqua. Anno a nativitate Dni. M.CCCC.LXXXXVII. die XX. Febr.* fol. — Panzer Tom. III. pag. 412.

——Bucolica Virgilii. In fine: *Virgilii Maronis Carmen Bucolicum finit. Impressi* (Lipsiae) *per Georium poetticher Anno nostre salutis 97.* 4. char. Goth. — Panzer Tom. IX. pag. 237.

1498 *Parisina* III. P. Virgilii Maronis Opus, per Paulum Malleolum Andelacensem iterata diligentia plane recognitum. In fine: *Parisiis, per Udalricum Gering et Bertholdum Rembolt socios in vico Sorbon. quam tersissime impressum 1498. 9. Calend. Iulii.* fol. min. s. 4. — Ex Paris. 1478. et 1489. expressa, sed emendatior. In ep. praefixa P. Malleolus cum de aliis typographorum multorum fraudibus queritur, tum de nonnullis praevaricatoribus chalcographis — qui *ut numerum augerent interpretum, nec tamen plus assumerent papyri, Ant. Mancinellum in Bucolica Georgicaque adiicientes, et Servium, et Donatum et Landinum, probatissimos interpretes, per universum opus laceros, mancos et exanimes reddiderunt.* Quae dicta adversus editorem Venetae 1495. Barth. de Zannis existimat Heynius p. CLXXXI.

——Bucolica, cum commento *Herm. Torrentini.* In fine: *Bucolica Virgilii. Daventriae impressa, per me Richardum pafraet-feliciter expliciunt. Anno MCCCCXCVIII. quinta Maii.* 4. — Panzer Tom. I. pag. 365.

——Georgica, cum comment. *Herm. Torrentini.* In fi-

ne: *Familiaris in P. Virgilii georgica commentarius Hermanni torrentini. — Impressus daventrie per me Richardum pafraet Anno MCCCCXCVIII. vicesima nona Maii.* 4. — Panzer ibid.

——— Georgica. In fine: *P. Virgilii Maronis Georgicorum libri quarti finis. Impressum Lypzk per Baccalarium Wolfgangum Monacensem anno graue MCCCCXCVIII.* 4. — Panzer Tom. I. pag. 490.

1499 *Veneta* XXIX. Opera, cum commentariis quinque Servii, Landini, Mancinelli, Donati, Domitii. Servii item errores suis locis annotati. In fine: *Venetiis a Philippo Pincio Mantuano. Anno domini M. CCCC. XCIX. die quinto Februarii.* fol. — Ducta ex ed. Pincii 1495. Panzer Tom. III. pag. 457.

——— *Lugdunensis.* Opera cum commentariis quinque. In fine: *Impressum per Iacobum Zachon pedemontanum Venetiis* (Lugduni) *charactere. Sub anno domini 1499. Die 9. decembris.* fol. — Panzer Tom. I. pag. 556. coll. Tom. IX. pag. 249.

——— Georgicorum P. Virgilii Maronis liber, cum novo commentario *Hermanni Torrentini.* In fine: *Georgicorum Virgilii opus visum revisumque denuo. Novoque ut vides caractere Coloniae industria Henrici Quentel civis eiusdem exaratum. Anno virginei partus proximo ante iubileum centenarium felici meta quievit.* 4. — Panzer Tom. IX. pag. 225.

——— Bucolicorum P. Virgilii Maronis luculentissima ac familiaris vocabulorum explanatio. Virgilius de se ipso *etc.* Haec in fronte. Fol. 2. Prohemium. In P. Virgilii Maronis Bucolica: Hermanni torrentini commentarii. In fine: *Bucolicorum finis Colonie per Henricum Quentell Anno ante iubileum.* 4. — Panzer ibid.

——— Opuscula, Vir bonus, Est et non, de Y littera pitagorica, de Rosa, et in obitu Mecenatis Elegia. In fine: *P. Virgil. Mar. opusculorum in sancta Colonia exaratorum opera et impensis Henr. Quentel faustus adest finis. In eius celebritate qui deo dicatis coniugium interdixit. Anno virginei partus ante iubileum centesimum.* 4. — Panzer ibid.

1500 Opera, cum commentariis quinque. *Venetiis a Lucantonio Florentino anno domini MCCCCC. die XXVII.*

Augusti. fol. — Ad Pincianam an. 1495. expressa. Panzer Tom. III. pag. 478.

——Georgica Virgilii cum novo commentario *Herm. Torrentini.* In fine: *Impressus Daventrie per m. Richardum pafraet anno dni MCCCCC. altera die post festum Thome apostoli.* 4. — Panzer Tom. XI. pag. 320.

Subiicimus nonnullas editiones seculi XV. sine temporis aut loci notatione: de quibus tamen, notante Heynio, non sine cautione pronuntiare licet; quandoquidem plerumque extrema pagina et indicibus destituta exemplaria in hunc censum veniunt.

. . . . Opera. fol. s. a. l. et typogr. *Argentorati*, ut videtur, circa an. 1471. impressa, typis *Io. Mentelii.* Panzer Tom. I. pag. 73. seq. Heyne. p. CLXXXIII.

. . . . Eclogae, Georgica et Aeneis. fol. s. a. l. et typogr. — Memoratur in Biblioth. Smithiana pag. D. ut perpulchra, et characteris literarum ad Vindelianam accedentis.

. . . . Virgilius, cum commentar. Servii, Donati et Landini. Ad calcem: *Impressum Venetiis per Ligam Boariam x. Kal. Iun.* fol. s. a. — Repetitionem ed. Florentinae an. 1487. esse, suspicatur Heynius. Exstat eius exemplum in bibl. Acad. Goetting.

. . . . Opera, una cum Servii Honorati Grammatici commentariis. In fine: *P. Virgilii Maronis Vatis eminentissimi volumina haec unacum Servii Honorati Grammatici commentariis ac eiusdem Poëtae vita Venetiis impressa.* fol. s. a. et typogr. — Panzer Tom. III. pag. 498.

. . . . Opera, cum Maphei Vegii libro XIII. Aeneidos. Accedunt diversa carmina. Haec excipiunt: Priapeia, Copa, Est et non est, Vir bonus, Rosae, Culex, Dirae, Aetna, Ciris, Catalecton. fol. s. a. l. et typogr. char. Rom. — Panzer Tom. IV. pag. 208. Aliam s. l. et a. ab hac diversam excitat idem vir doctus Tom. IX. pag. 339.

. . . . Opera. Adhaerent: Copa, Moretum, Dirae, Est et non est, Rosae, Culex, Priapeia. fol. s. a. l. et typogr. char. Lat. circa an. 1480. forte Venetiis. — Panzer Tom. IV. pag. 208.

. . . . Mauri Servii Honorati Commentarius in Virgilii Opera. fol. char. Lat. — Panzer Tom. I. pag 76. inter libros Argentoratenses.

. . . . Bucolica et Georgica. In fine: *Publii Virgilii Maronis Bucolicorum et Georgicorum Libri finiunt feliciter.* 4. s. a. et l. char. Rom. — Panzer Tom. IX. pag. 339.

. . . . Bucolica. 4. char. Goth. rudi. — Ex Pinelli et Denis Panzer Tom. IV. pag. 208. Conf. eundem Tom. IX. pag. 227.

. . . . Eclogae. In fine: *Laus Deo. Brixiae per Thomam Ferandum.* 4. — Pertinet ad primordia typographiae, Brixiae per Thom. Ferrandum introductae. Panzer Tom. IV. pag. 263.

. . . . Opera, cum commentar. Ferrandi. *Londini. Richard Pynson.* 8. s. a. — Brüggemann in *View of the English Editions of the Greek and Latin Authors* pag. 535. Rich. Pynson typographiam exercuit Londini intra annos 1493. et 1528.

. . . . Moretum. 4. s. a. l. et tyogr. char. Goth. — Panzer Tom. I. pag. 334. inter libros Colonienses. Conf. eundem Tom. IX. pag. 227. n. 447. g.

. . . . Moretum. Vir bonus. De Rosa. De Vino et Venere. *Daventriae, in officina Alberti paefret.* 4. s. a. — Crevenna Vol. III. pag. 199.

. . . . Culex. *Lipsiae, per Martinum Herbipolensem.* 4. s. a. — Panzer Tom. I. pag. 501.

. . . . P. Vergilii Epigrammatum. et primo opuscolum de viro bono. *Sequuntur:* de ludo contra avaritiam et iram. de livore seu invidia. de Venere et Vino. de littera y. Coppa. Eius aut potius Ausonii Rosa. de signis coelestibus. Monosticon. Disticon. Aliud. Mors trium animalium. Idem aliter. adhuc aliter. 4. char. Rom. s. a. et l. — Panzer Tom. IX. pag. 339. seq.

. . . . *Georgii Alexandrini* (Merulae) Emendationes in Plinium et *Virgilium*, adiectae eius in librum de homine Galeoti Animadv. 4. s. a. et l. char. ut videtur, Vindel. de Spira. — Panzer Tom. III. pag. 483. n. 2710.

AETAS II. *ASCENSIO — ALDINO — PIERIANA.*

1500 — 1546.

A principibus: Iod. Badio Ascensio, interprete magis familiari, quam Critico; Aldo avo, cuius classica

est editio *tertia*, ab *Andr. Naugerio* curata, perperam a sequentibus editoribus relicta; Io. Pierio Valeriano, qui adhibitis praestantissimis Codicibus emendavit Virgilium, seorsum editis Castigationibus an. 1521. Receptae sunt hae Pierii Castigationes in edd. 1529. Paris. et 1532. Rob. Stephani, item Iunt. an. 1533. Adoptavit et breviter excerpsit sub nomine *lectionum varietatis* Alex. Velutellus in Ven. 1534. *Io. Bapt. Egnatii* editio maxime ob Servium emendatiorem et pleniorem, tum Probi in Bucolica et Georgica Commentariolum, nunc primum impressum, commendabilis est. Ex hac Lugdunensis Ascensiana auctior evasit. *Iuntinae* merae repetitiones Aldinarum sunt. Summam laudis ex Servio restituendo aucupatus est *Rob. Stephanus*. *Nic. Erythraei* cura in emendanda Virgilii lectione, quamvis mediocris, cum eiusdem scholiis intra minutias subsistentibus ab an. 1555. repetita est saepius. Neque racenda nomina *Seb. Brant*, qui ed. Argentor. I. curavit, et *H. Sussannaei*, qui Parisinis 1539. cett. praefuit. Interpretum superioris aetatis numerum auxere praeter *Ascensium* et *Erythraeum*, *Phil. Melanchthon*, *Eob. Hessus*, *Ioan. Ruellius*, *Adr. Barlandus*, *Iod. Willichius*, ceteri.

1500 *Ascensiana* I. Bucolica et Georgica, cum commentariis Servii et Iod. Badii Ascensii. *Lutetiae. Iohann Petit.* fol. — Panzer Tom. II. pag. 335.

——Aeneis Virgiliana, cum Servii commentariis, Philippi Beroaldi annotationibus, Donati enodationibus, Iodoci Badii Ascensii elucidatione atque ordinis contextu *etc.* Omnia a Thielmanno Kerver compressa. *Venundantur Parrhisii a Ioanne Parvo.* In fine: *Compressit peritissimus calcographorum Thielmannus Kerver Confluentinus; absolvitque in inclyta Parrhisiorum academia ad decimum Calendas Februarii, anno secundum eiusdem loci computationem MD.* fol. — Anno sequenti etiam *Culex cum reliquis Poëmatiis* prelo eodem exiit; atque haec est prima Ascensiana, quam tot aliae secutae sunt: ex quibus tamen omnibus criticae opis nihil est exspectandum. Nihil enim discessit Badius a lectione inde ab an. 1495. et 1499. a Venetis vulgata.

——(*Erythraeana* I. Opera, *Nic. Erythraei opera reſtituta additis eiusdem Scholiis — per Franc. Rampazetum.* 8. — Sub hoc anno memoratur in Catal. Bibl. R. Paris. n. 818. teste Heynio. At typographus *Fr. Rampazet* floruit Venetiis circa an. an. 1560-1565. Itaque errorem in anno admissum putamus, et Erythraei I. rectius ad an. 1538. referimus.)

1501 Vergilius cum commentariis quinque, videlicet Servii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati, Domitii. In fine: *Venetiis, sub anno Domini MDI. die IX. Iunii.* fol. — Panzer Tom. VIII. pag. 346.

——*Aldina* I. Virgilius. In fine: *Venetiis ex aedibus Aldi Romani mense Aprili MDI.* 8. — Mera est superioris alicuius editionis repetitio, etsi in praefatione promittitur Virgilius emendatus. Typis minoribus, quos *Italicos, currentes,* et *Aldinos* vocant, primus omnium librorum expressus. Adiecta est ad calcem epistola de orthographiae ratione. — Panzer Tom. VIII. pag. 343. Renouard Annal. de l'Imprimerie des Alde Tom. I. pag. 39. seq. Est etiam huius ed. repetitio sine anno et loco, quam vide infra inter edd. s. a.

——Opera, cum commentar. Servii Mauri Honorati. *Mediolani.* fol. — Panzer Tom. VII. pag. 378.

——Bucolicorum luculentissima explanatio (Herm. Torrentini.) *Coloniae, per Henricum Quentell Anno post iubileum.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 348.

——Georgicorum liber, cum novo commentario Hermanni Torrentini. *Coloniae, per Henricum Quentell. 1501.* 4. — Panzer ibid.

——P. Virgilii Mar. aliquot opusculorum cum familiarissima elucidatione pro tyrunculorum in arte poëtices institutione insigni ut vides caractere *in sancta Colonia exaratorum opera atque impensis Henrici Quentell anno post iubileum primo.* 4. — Continentur: Vir bonus. Est et non. De y littera Pythagorea. De Rosa. Elegia de obitu Maecenatis. — Panzer ibid.

——Culex. Dirae. Aethna. Cyris. Moretum. Hortulus. Elegia de obitu Mecoenatis. Epigrammata. Vir bonus. De Ludo. De Livore. De Venere et Vino. De Littera Pythagorae. Coppa. Rosa. Est et non. Ae-

tates animalium. Aerumnae et labores Herculis. De Cantu Syrenum. De Die festo. De Fortuna. De Orpheo. De Se. De Speculo et Fonte. De Glacie et Plaustro. De Iri. De IV. Temporibus anni. De Ortu Solis. De Signis coelestibus. Quaedam Fragmenta addititia. Niger de Numeris carminum. *Lutetiae per Thielmann Kerver MDI.* fol. — Panzer Tom. VII. pag. 501.

1502 *Argentoratensis* I. Opera (et Carmina minora.) In fine: *P. V. M. Opera cum quinque Commentariis, expolitissimisque figuris atque imaginibus per Sebast. Brant superadditis. Impressum regia in civitate Argentinens. Ordinatione, eliminatione et relectione* Seb. Brant, *operaque et impensa non mediocri magistri Iohannis Grieninger, anno millesimo quingentesimo secundo quinta Calendas Septembres die.* fol. — Commentarii sunt iidem, qui in Venetis edd. 1495. 1499. 1501. ut non dubitandum sit, quin ipse poëta ex iis expressus sit. Ex hac vero editione Argentina ductae sunt figurae, quae Ascensianas, Iuntinas, aliasque Venetas onerant magis quam ornant. Panzer Tom. VI. pag. 27. seq.

——Bucolica, cum commentario *Herm. Torrentini.* In fine: *Bucolicorum finis Colonie in officina pie memorie Henrici Quentell Anno MCCCCCII.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 351.

——Georgicorum P. Virgilii Maronis liber cum novo commentario *Hermanni Torrentini. Daventriae industria Iacobi de Breda MCCCCCII. proximo post Iubileum felici meta quievit.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 484.

1503 Bucolica, cum commentario *Herm. Torrentini. Daventriae per Iacobum de Breda.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 485.

——Bucolica P. V. M. cum verborum contextu in poëtices tyrunculorum sublevamen per *Hermannum Torrentinum* triviali stylo familiariter discussa. In fine: *In aedibus Quentell exaratum.* (Coloniae) *Anno a natali Christiano tertio supra millesimum quingentesimum.* 4. — Panzer Tom. IX. pag. 419.

——Bucolica. *Lipsiae per Martinum Herbipolensem.* fol. — Panzer Tom. VII. pag. 145.

Digitized by Google

——Georgicorum P. Virgilii Maronis liber cum novo commentario *Hermanni Torrentini*. In fine: *Finem accipit Georgicorum Virgilii opus iucundissimum iterata diligentique lucubratione, ubi opus erat, recognitum. Ac in officina Henrici Quentell insigni caractere Colonie impressum. XV. Kalen. Februarias Anno salutis supra M. quingentesimum tercio.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 351.

——Georgica, acri cura emendata, cum argumentis Beroaldi ad singulos libros appositis. (Curante *Georg. Schiltel* Hannbachensi.) *Impressum Liptzk per Martinum Herbipolens. anno 1503. Pridie Id. M. April.* fol. — Panzer Tom. VII. pag. 145.

——Georgicorum liber cum novo commentario *Hermanni Torrentini*. In fine: *Impressum Lyptzk per Melchiorem Lotter. Anno incarnationis Millesimo quingentesimo tercio.* 4. — Panzer Tom. VII. pag. 143.

——Divina Aeneis in duodecim libros discreta: quibus singulis (ut quid in unoquoque contineatur statim lector intelligat) hypothesis sive argumentum a Philippo Beroaldo Bononiensi Rhapsodorum principe nostra etate premittitur. In fine: *P. Vergilii Mar. Aeneis opus insigne finit. Impressum Liptzick per Baccalarium Wolfgangum Monacensem. Anno post nativitatem Christi tertio supra millesimum quingentesimum. Die vero vicesima Mensis Ianuarii.* 4. — Panzer Tom. VII. pag. 146.

——Divina Aeneis in duodecim libros discreta, quibus singulis hypothesis seu argumentum a Philippo Beroaldo, Rhapsodorum principe nostra aetate, conscriptum praemittitur. In fine: *Habes optime Lector P. Virgilii Mar. Aeneidis opus insigne iterum atque iterum satis laboriose emendatum, vigilique diligentia Bacc. Martini Herbipolensis Lipsiensis civis ibidem recens impressum anno 1503. XII. Kal. Iul. finitum.* fol. — Panzer Tom. VII. pag. 145.

. . . . In libro presenti hec continentur P. Vergilii Maronis quinque carmina pulcherrima Primum de Viro bono. Secundum de Ludo. Tertium de Venere et Baccho. Quartum de Livore. Quintum de Littera Pitagore. Fratris Baptiste Mantuani Carmen votivum ad beatam virginem. In fine Insigne Wolf-

gangi Monacensis. 4. s. n. anni. (1503.) — Panzer Tom. VII. pag. 146.

1504 Opera, cum expositoribus Servio, Landino, Mancinello, Donato, Domitio. Annotationes item in Servium suis locis positae. In fine: *Venetiis a Philippo Pincio Mantuano. Anno domini M. CCCCC. IIII. die xxxi. Augusti.* fol. — Panzer Tom. VIII. pag. 369.

——— *Mediolanensis* Minutiani, cuius titulus in fronte est: *Heus lector. Alexander Minutianus: apud quem hec opera sunt impressa: te rogat ut de sua diligentia sententiam non proferas: priusquam omni deposito liuore hanc suam editionem cum aliis contuleris: in qua ubi quid opis et lancinato* Servio *et opusculis que iuuenis Uergilius composuit: attulerit diligenter inspexeris: non te leves offendent macule: quas librariorum inspersit negligentia.* In fine haec leguntur: *Impressa Mediolani apud Alexandrum Minutianum quem emendatissime: et de exemplari castigatissimo descripta. Impensa communi cum venerabili Sacerdote Nicolao Gorgonzola. Anno Domini. M. D. IV. Idibus Octobris.* fol. — Debemus hanc editionis, raritate et bonitate praestantis, notitiam viro clar. Heideggero, amplissimae Reip. Turicensis quondam a consiliis et Tribuno.

——— Opera, cum Servio. In fine: *Impressum Venetiis per Bartholomaeum de Zannis de Portesio anno M. D. IV.* fol. — Memoratur haec editio rara et nitida in Catalogo librorum etc. operumque rariorum in aedibus Matth. Fontaine, bibliopolae, Manhemii an. 1779. publice divenditorum n. 3678. Repetitio videtur ed. Venetae an. 1495.

——— Eclogae *Virgilii*, Calphurnii, Nemesiani, Franc. Petrarchae, Io. Boccacii, Io. Bapt. Mantuani, Pomponii Gaurici. In fine: *Impressum hoc opus Florentiae opera et impensa Philippi de Giunta, Bibliopolae Florentini. Anno salutis. Mille CCCCC. IIII. Decimo quinto Calendas Octobris.* 8. — Panzer Tom. VII. pag. 8.

1505 P. Virgilii Mar. omnia Opera cum figg. nuper editis et expositoribus Servio, Landino, Donato, Ant. Mancinello, Domitio. Annotatt. item in Servium suis locis positae. *Venetiis per Phil. Pincium Mantua-*

num. MCCCCCV. fol. — Expressa est haec editio ex Pinciana II. an. 1499. Figg. ductae sunt ex ed. Argentor. Annott. in Servium scripsit *Phil. Beroaldus* pater, an. 1489. Florentiae editas. Panzer Tom. VIII. pag. 375.

——*Aldina* II. Vergilius. *Venetiis, ex aedibus Aldi. M. D. V. mense Decembri.* 8.— Est repetitio Aldinae prioris minus emendate facta. Accessere tamen in hac ed. secunda Aeneidos liber XIII. auctore Maphaeo Veggio, Catalecta, Priapeia *etc.* Conf. Renouard l. c. pag. 84.

——Opera, iterum *Augustini Camynadi* exactissima cura castigata, argumentis et annotamentis paullo frequentioribus illustrata, ac Magistri Io. Philippi Alemanni, diligentissimi formulatoris, impendio atque industria nuperrime nitidissimis excusa characteribus. *Parrhisiis* 8. — Inscripta est Nic. Benserado. Heyne pag. CLXXXXVI.

——Bucolicum decem aeglogarum opus: tersum ac extrema opera castigatum, ab *Herm. Torrentino* familiariter expositum. *Lipsiae, per Melch. Lotter.* 4. — Heyne ibid.

——Bucolica et Georgica, cum opusculis. *Parisiis in aedibus Ascensianis.* fol. — Panzer Tom. VII. pag. 513.

——Aeneis. Lipsiae, *per Iac. Thanner.* 4. —Panzer Tom. VII. pag. 155.

1506 Bucolica P. Vergilii Maronis. In fine: *Recognitum est hoc bucolicum Maronis opus a variis labeculis chalcographorum inadvertentia commissis per quendam ad id multis precibus exoratum. At eo quidem tempore in aedibus Quentell exaratum* etc. *Anno a salvatoris natali Millesimo quingentesimo sexto.* (Coloniae.) 4. — Panzer Tom. VI. pag. 359.

——Georgica. Accedit Est et non est, *Lipsiae, per Iacobum Thanner.* 4.— Heyne pag. CLXXXXVII.

1507 *Ascensiana* II. Opera Virgiliana docte et familiariter exposita: docte quidem Bucolica et Georgica a Servio, Donato, et Mancinello, cum annotationibus Beroaldinis: Aeneis vero ab iisdem praeter Mancinellum: et ab Augustino Datho in eius principio. Opusculorum praeterea quaedam ab Dominico Calderino. Familiariter vero omnia tum

Opera tum Opuscula ab Iodoco Badio Ascensio. *Quae omnia ab ipso Ascensio impendio Ioannis Parvi coimpressa et recognita prostant sub Leone Argenteo apud Parrhisios in via regia ad divum Iacobum.* In fine: *Ascensius ad lectorem:*

Lector habes summi divina poëmata vatis
Rursus ab integro pumice tersa mea etc.

Ex officina Ascensiana Impendio Ioannis Parvi, Sexto Idus Novemb. Anni ab redemptione humana MDVII. fol. — Panzer Tom. VII. pag. 523.

——*Egnatiana* I. Bucolica, Georgica, Aeneis, cum Servii commentariis accuratissime emendatis, in quibus multa, quae deerant, sunt addita. Graecae dictiones, et versus ubique restituti. Sequitur *Probi*, celebris Grammatici, in Bucolica et Georgica commentariolus non antea impressus. Ad hos Donati Fragmenta, Christoph. Landini et Ant. Mancinelli Commentarii. In fine: *P. Virgilii Bucolica et Georgica et Aeneidos libri XII. Venetiis excusi M. D. VII. die ultimo Iunii. Lauretani Principis anno sexto. Bernardinus Stagninus impensam fecit, Ioannes Baptista Egnatius emendavit. Dii coeptis faveant.* 4. vel 8. mai. c. figg. — Novam recensionem adornasse videri voluit Egnatius. Verum substitit eius opera maxime intra Servium, quem ex dimidiato integrum se fecisse profitetur. Probi fragmenta in hac ed. primum prodierunt e Codice vetustissimo Bobii, quondam a Georg. Merula invento. — Heyne pag. CLXXXXVII.

——Opera. *Venetiis, per Bartholomaeum de Zannis de Portesio.* fol. — Haud dubie repetita ex ed. 1494. et 95. Heyne ibid.

1508 Bucolica, cum commentario *Herm. Torrentini. Argentinae per Ioannem Knoblouch.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 41.

——Georgicon liber, cum novo commentario *Herm. Torrentini. Argentinae per Ioannem Knoblouch.* 4. — Panzer ibid.

——Carmina de vero bono. De est et non. De littera pytagore. De ludo. De vino et venere. De livore. De rosa. Elegia in mecenatis obitu. In fine: *Impressum franccophordie eis oderam per me Conradum*

Baumgarth Anno Bisextili MCCCCCVIII. 4. — Panzer Tom. VII. pag. 54.

1509 *Argentoratensis* II. P. Vergilii Maronis Aeneis cum familiari expositione. In fine: *Iohannes Knoblouch civis Argentinensis impressit v. kal. Aprilis. Anno salutis Christiane MdIX.* 4. — Io. Schottus Argentinensis praefatur, quem Heynius ad modum Torrentini ieiunum Aeneidem interpretari voluisse suspicatur. Panzer Tom. VI. p. 45.

——— Georgica, cum *Herm. Torrentini* Comment. *Argentinae per Ioh. Knoblouch.* 4. — Panzer loco cit. Bucolica vide sub an. 1510.

——— Opuscula, cum familiari expositione. Culex, Dire, Aethna, Cyris, Moretum, Ortulus, Vir bonus, De ludo et ira, De livore, De vino et Venere, De littera y, Copa, Rose, Est et non, De etatibus animalium, De erumnis Herculis, De musarum inventis, De cantu syrenarum, De die festo, De fortuna, De Orpheo, De seipso, De speculo, De unda congelata, De iride, De quatuor temporibus anni, De ortu solis, De signis coelestibus. In fine: *Iohannes Knoblouch impressit v. kal. Mai. Anno salutis christiane M. D. IX.* 4. — Panzer ibid.

——— Aeneidos opus. *Lyptzk per Wolfgangum Monacensem.* 4. — Panzer Tom. IX. pag. 488.

1510 Opera, cum commentar. Servii etc. *Impressum Venetiis per Bartholomeum de Zannis de Portesio MDX. die xx. Iunii.* fol. — Panzer Tom. VIII. pag. 400. Repetita sine dubio ex ed. 1495.

——— *Iuntina* I. Opera et opuscula. Copa, Priapeia - praevio monito Mariani Tuccii. In fine: *Impressum hoc opus Florentiae impensa Philippi de Giunta Florentini anno a Nativitate Christi M. D. X. Sexto Calendas Decembris.* 8. — Repetitio editionis Aldinae. Conf. Iunt. Typograph. Annal. II. pag. 37. Apud Panzerum legitur Tom. VII. pag. 13.

——— Bucolica, cum commentario *Herm. Torrentini. Argentorati per Iohannem Knoblouch.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 48.

——— Georgica, cum commentario *Hermanni Torrentini. Coloniae in officina filiorum Quentell xv. Kal. Iul. Anno MDX.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 369.

——Opuscula, cum familiari expositione. *Phorcae.* 4. — Panzer Tom. VIII. pag. 232.

——Annotationes *Philippi Beroaldi* Bononiensis in commentarios Servii, Virgiliani commentatoris. In fine: *Phorce mense Aprili M. D. X.* 4. sine typographo. — Panzer ibid. Vide 1489.

1511 Opera maiora et minora: cum Servio, Probo, Sulpicii Verulani annotationibus in sex priores Aeneidis libros. Tum Phil. Beroaldi Servii, ut ipse inscripsit, errores, cum Domitii Calderini in Iuvenilia huius poëtae commentariis. *Mediolani per Leonardum Vegium MDXI. die XXV. Augusti.* fol. min. — Heyne p. CLXXXXVIII. Panzer Tom. VIII. p. 391.

——Bucolica, Georgica, Aeneis, cum Servii commentariis, Phil. Beroaldi in Servium notis, Iacobi Crucii annotationibus. *Mediolani exc. Io. Angelus Scinzenceler impensis Io. Iac. Lignani MDXI. die 1. Decembr.* fol. — Panzer Tom. XI. pag. 462.

——Georgica, cum commentario *Herm. Torrentini. Antverpiae expensis Henrici Eckert de Homberch.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 5.

1512 *Ascensiana* III. Operum. *Parisiis ex officina Ascensiana.* fol. — Panzer Tom. XI. pag. 481.

——Opera Vergiliana, docte et familiariter exposita a Servio, Donato, Mancinello, Beroaldo, Ascensio et aliis. *Venetiis per Georgium Arrivabenum MDXII. die XI. mensis Octobris.* fol. — Repetitio ed. Ascensianae 1507. Panzer Tom. VIII. pag. 407. Conf. Catalog. Bibl. Brunck. pag. 100. n. 1275.

——Bucolica cum verborum contextu in poëtices tyrunculorum sublevamen per *Herm. Torrentinum* triviali stilo familiariter discussa. *Argentorati per Iohannem Knoblouch.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 55.

——Bucolica Virgilii cum commento familiari (*Herm. Torrentini.*) *Londini, per Wynandum de Worde.* In fine: *Ad iuvenes huius Maroniani operis commendatio. 1512. Die vero VIII. Aprilis.* 4. — Repetita dein est an. 1514. 1516. et 1533. per eundem. Panzer Tom. VII. pag. 240.

——Georgicorum liber, cum novo commentario *Herm. Torrentini. Melchior Lotterus impressit Lypzk.* 4. — Panzer Tom. VII. pag. 176.

——Carmina infra scripto indice comprehensa *etc. Lipsi per Melchiorem Lotterum.* 4. — Panzer ibid.

——Aeneis. *Impressum Lipsiae per Iacobum Thanner.* 4. — Panzer Tom. VII. pag. 178.

1513 Bucolicum. *Viennae.* 4. s. n. typogr. — Denis Nachtrag zur Buchdruckergeschichte Wiens pag. 39.

——Bucolicum decem aeglogarum opus castigatum ab *Herm. Torrentino. Lipsi apud Melchiorem Lotterum.* 4. — Panzer Tom. VII. pag. 180.

——Georgicorum libri, cum novo absolutissimoque commentario *Hermanni Torrentini* multo accuratiori opera nuper recogniti. In fine: *Argentine per Iohannem Knoblouch quo potuit exactiorì studio elaboratum. M. D. XIII.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 60.

——Aeneis, novis ac elegantioribus formulis expressa per *Melchiorem Lotterum civem Lipsiensem.* 4. — Panzer Tom. VII. pag. 180.

1514 *Aldina* III. Virgilius, ex recensione *Andr. Naugerii.* In fine: *Venetiis, in aedibus Aldi et Andreae Soceri anno 1514. mense Octobri.* — Panzer Tom. VIII. pag. 421. Editio praeclara, et inter praestantissimas numeranda: quam qui factum sit ut sequentes editores non sequerentur, sed plerumque ad priores Aldinas redirent, non assequor. Promittit Aldus in praefatione ad Bembum, *se lusus Virgilii, quos ille* (Bembus) *habeat correctissimos, tum editurum esse, si eos acceperit.* Quod tamen ipse non praestitit morte praeventns; perfecit tamen Franc. Asulanus socer 1517. Haec ex Heynio.

——Opera omnia ornata figuris, cum Servii, Donati, Probi, Domitii, Landini et Ant. Mancinelli commentar. *Venetiis per Bartholomeum de Zanis de Portesio.* fol. — Panzer Tom. VIII. pag. 419.

——Bucolica, cum commento familiari. *Londini per Wynandum de Worde.* 4. — Vid. supra ad an. 1512.

——Georgica, cum commentario *Herm. Torrentini. Daventriae.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 486.

——Georgicorum liber, cum novo commentario *Herm. Torrentini.* In fine: *Impressum Liptzk per Melchiorem Lotterum Anno MDXIIII.* 4. — Panzer Tom. VII. pag. 183.

1515 Opera quaecunque exstant, et in haec Annotationes

Commentariaque complurium doctissimorum virorum. In Bucolica et Georgica Servius, Donatus, Mancinellus, Beroaldus; in Aeneida Servius, Dom. Calderinus, Aug. Dathus, Beroaldus, Ascensius. *Venetiis, in aedibus Alex. Paganini.* fol. — Bibl. Bunav. Tom. I. p. 300. Ascensianas iam hic cum Venetis Egnatii comparatas fuisse suspicatur Heynius.

——*Ascensiana* IV. Opera et Opuscula Virgiliana, *diligenter ab Ascensio exposita et impressa ad Kal. Novembr. MDXV. in Parrhisiorum Academia.* 8. — Panzer Tom. VIII. pag. 22.

——Opera Vergiliana, cum commentariis Servii, Donati, Mancinelli, Probi, Aug. Dathi et Domitii Calderini, itemque Iodoci Badii Ascensii. *Parisiis per Franc. Regnault.* fol. — Ducta sine dubio ex ed. Ascensiana 1507. Panzer Tom. VIII. pag. 25.

——Georgicorum libri quatuor et Rosae. *Argentorati ex aedibus Schurerianis Mense Decembri MDXV.* 8. — Panzer Tom. VI. pag. 75.

——Aeneidos libri duodecim. Summis certe vigiliis, laboreque permagno castigati. Μὴ φθονέοις ἀγαθῶν ἑτάροις. Alcini versus: De numero vatum si quis seponat Homerum *etc.* Haec in fronte fol. 1. a. Fol. eodem b. *Nicolaus Gerbelius DD. Doctor Studioso Lectori S.* In fine: *Argentorati, Ex aedibus Matthiae Schurerii, Mense Iunio. Anno a Christo nato MDXV. Usui Studiosorum. Dii cepta secundent.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 74.

——Aeneis politioribus exactioribusque formulis iam excusa. Vitus Vuerlerus in Vergilii Aeneida (*disticha octo.*) *Tum:* Othmarus Nachtgall Argentinus

Argentorace prestans hunc arte Ioannes
Knoblouch. eximiis edidit ere notis
Eruit et mendas Rhomano prorsus Homero.
Ut niteat: quo non tersior alter erit.

Haec in fronte. In fine: *Ioannes Knoblouch civis Argentinensis impressit XIIII. die mensis Iunii Anno dni. MDXV.* Sequuntur: P. Vergilii Maronis carmina infrascripto indice comprehensa: Hortulus, De vino et Venere, De livore, Copa, Versus Ovidii, Summa omnium operum Vergilii, Moretum. In fine: τελος. 4. — Panzer Tom. VI. pag. 70.

1516 Bucolica, cum commento familiari (*Herm. Torrentini.*) *Impressa per Wynandum de Worde Londoniis commorantem — anno Domini MCCCCCXVI. die III. Decembris.* 4. — Panzer Tom. VII. pag. 242. Repetita ex ed. 1512. et 1514.

——Bucolicum decem aeglogarum opus tersum ac extrema opera castigatum: ab *Hermanno Torrentino* familiariter expositum. *Venundantur Lypsi apud Melchiorem Lottherum in regione foeni.* 4. — Repetitio ed. 1505. Panzer Tom. VII. pag. 192.

——Carmen bucolicum: decem Aeglogarum opus. In fine: *Vides amande lector Vergilii Bucolica cum argumentis brevissimis: Aeglogarum capitibus premissis: emendatione accurata Magistri Ioannis has de Graytz limata: Impensisque et Industria Iacobi Thanners impressorie artis peritissimi sub anno decimo sexto supra millesimum quingentesimum: pressa* etc. 4. — Panzer Tom. XI. pag. 437.

——Bucolica, cum verborum contextu in poëtices tyrunculorum sublevationem per *Hermannum Torrentinum* triviali stilo familiariter discussa. In fine: *Impressum Argentine per Iohannem Knoblouch. Anno domini MDXVI. In vigilia Petri et Pauli aplorum.* 4. — Panzer Tom. XI. pag. 363.

——Bucolica, cum verborum contextu et fabularum enarratione in poëtices tyrunculorum sublevamen per *Herm. Torrentinum* facili stylo familiariter discussa. In fine: *Finis Bucolicorum Maronis Coloniae in domo Quentell expressorum Anno MCCCCCXVI.* 4. — Panzer Tom. XI. pag. 397.

——Bucolica et Georgica, cum commentariis Servii, Probi, Ant. Mancinelli et Iodoci Badii. *Parisiis.* 4. — Panzer Tom. VIII. pag. 36.

——Georgica, cum commentario *Herm. Torrentini. Melchior Lottherus impressit Lypzk.* In fine: *Ex officina Melchioris Lottheri Ao. Dni Mill. quing. sexto decimo.* 4. — Panzer Tom. XI. pag. 437.

——Aeneis cum aliis carminibus. *Daventriae in aedibus Theodorici D. B.* In fine: *Divina haec Publii Virgilii Opera excusa sunt Daventriae foelici sidere in aedibus Theodorici de Borne Anno a Natali Christianissimo sesquimillesimo supra sextum decimum. Calen. Ma.* 4. —

Beroaldi epistola praefixa. Esse tamen Aeneidos libros ex Aldino exemplari castigatos et recognitos, Carmina autem minora ex antiquissimo exemplari multorum seculorum recognita, ipsa praefatio docet inserta Maittair. Annal. Tom. II. pag. 288. Nec plura compererat Panzer Tom. VI. pag. 487. Iac. Faber aliquis recognitioni horum carminum praefuisse memoratur ibid. in Epistola ad Murmellium. Heyne pag. CCI.

1517 *Lugdunensis* Ascensiana, cuius nuper nobis oblatae titulum pleniorem damus:

Opera Vergiliana docte et familiariter exposita: docte quidem Bucolica: et Georgica *a Servio, Donato. Mancinello: et Probo* nuper addito: cum adnotationibus *Beroaldinis*. Aeneis vero ab iisdem praeter *Mancinellum* et *Probum* et ab *Augustino datho* in eius principio: Opusculorum praeterea quaedam ab *Domitio Calderino*. Familiariter vero omnia tam opera quam opuscula ab *Iodoco Badio Ascensio*. Opuscula autem ante Aeneida hac posita sunt serie. Culex. Dirae. Aethna. Cyris. Moretum. Hortulus et Elegia de obitu Mecoenatis. Epigrammata. Vir bonus. De ludo. De livore. De Venere et vino. De littera Pythagore. Coppa et rosa. Est et non: Aetates animalium. Aerumnae et labores Herculis. De musarum inventis. De cantu syrenum: et de die festo: De Fortuna: de Orpheo. De se ipso: de speculo et fonte: et experientia. De glacie et plaustro: et arcu coelesti quam Irim vocant. De quattuor temporibus anni: et de ortu solis. De signis coelestibus. Quaedam edilia. Omnia quidem tam Bucolica; Georgica Opusculorumque nonnulla: et Aeneis: quam tertius decimus a *Mapheo Vegio* liber: expolitissimis figuris et Imaginibus illustrata. Accesserunt ad haec non minus utilia quam necessaria congruisque locis in Aeneide ipsa interlocutorum nomina sita: quae quantum lectori (nisi nasuto) adminiculo futura sint iudicet qui perlegerit. — Aversa tituli habet versus, quos condidit *Sebastianus Brant ad Lectorem Operis*. Sequuntur tum: *Iod. Badii Ascensii* ep. ad *Anselmum de Brieuere* U. I. D. data. — *Ex Officina nostra littera-*

ria in Parrhysiorum Lutecia. ad VIII. Kal. Maias. M. D. V. Et iam Idus ad Apriles. Anni ab redemptione humana MDXV. tum *P. Vergilii praeconia per Landinum;* tum *Ant. Mancinelli* ep. inscripta *Urso Ursino* etc. tum *Iod. Badii Asc. in Opera Vergiliana quaedam praenotamenta scitu digna;* tum *tabula Bucolicorum, Georg. et Opusculorum;* tum *Ascensii in Bucolica Verg. preambula;* iuxtaque *Servii Mauri Hon. Gr. in bucolica commentariorum liber.* Tandem textus cum Commentariis, quibus in margine auctoris cuiusque nomen additum est. Bucolicorum et Georgicorum fini subiuncta est Epist. Ascensii, inscripta *Laodislao et Clementi Alexandrinis: Ioanni confluentino et Ioanni parvo ingenuis optimorum bibliopolarum liberis. — Ex officina nostra litteraria Parrhisiis. v. Idus Mar. Anno pro calculis Ro. M. D. I.* In fine Opusculorum haec leguntur: *Habes igitur iuventus optima* Vergiliana *fere opera familiariter explanata: Nam Priapeium: obscoenum illud epigramma: non Vergilianum: sed Ovidianum esse in facie huius voluminis seu libelli ultimi praenotavimus Authore Politiano cum sint qui non unius Authoris esse velint: cuiuscunque autem est: indignum est quod Xpianis: id est castis auribus exponatur. Catalecton vero non Vergilio sed puerorum lectioni sine iactura subtraximus. Impressa sunt hec omnia Lugduni ab Iacobo Sachon MDXVII. die vigesima mensis Augusti.*

Aeneis, quae pro altero volumine habetur, proprie sic inscripta est: *Aeneis Vergiliana cum* Seruii Honorati Grammatici *huberrimis commentariis: cum* Philippi Beroaldi *viri clarissimi doctissimis in eosdem annotationibus suis locis positis: Cum* Donati *argutissimis subinde sententiarum praesertim enodationibus. Cum* Augustini Dathi *oratoris Senensis luculentissima introductione. Cum familiarissima* Iodoci Badii Ascensii *elucidatione: atque ordinis contextu. Accessit ad hoc* Mapphei Veggii *liber additicius: cum Ascensianis annotationibus. Addita praeterea sunt ipsius poëtae: ac operum eius illustrium virorum praeconia. Aeneidos argumenta: et quaedam nostri poëtae epitaphia. Elucent praeterea in toto ipsius Aeneidos opere (quamquidem μικτὸν, i. mixtum poëmatis stili genus referat) inter-*

locutiones marginem, congrue occupantes: Hactenusque nullibi Visae. Aversa tituli habet epistolam Badii Asc. inscriptam Lodovico de Flandria - datamque *Ex officina nostra litteraria in nobilissimo Parrhisiorum gymnasio Ad decimum Calendas Februarii: anno iuxta Romanam supputationem. Millesimo quingentessimo primo. Et nunc iterum (neque enim coepti poenitet) ad Calendas Novembris MDVII.* Sequuntur tum tabula Aeneidos, P. Virgilii Mar. vita, quae a Donato dicitur edita etc. Ascensii et Aug. Dathi praenotamenta. — Ad calcem voluminis: *Excussit Lugduni et in officina sua literatoria Iacobus Sacon: Impensas autem protulit bibliopolarum optimus Ciriacus Hochperg Anno a Virginis partu. MDXVII. ad tertium nonas Decembres.* fol.

——Venetam quoque huius anni cum Commentariis fol. memorari vidit Heynius, sed suspecta fide.

——Bucolicorum libellus. In fine: *Argentorati ex aedibus Schurerii Mense Novembri Anno MDXVII.* 4. — Panzer Tom. IX. pag. 369.

——Georgicorum libri quatuor. Moretum. Rosae. In fine: *Argentorati ex Aedibus Schurerianis Mense Ianuario. Anno MDXVII. Conrado Duntzenheimio ill. Dictatore Argentorat.* 4. — Panzer Tom. IX. pag. 368.

——Diversorum veterum poëtarum in Priapum lusus. P. Virgilii Maronis Catalecta. Copa. Rosae. Culex. Dirae. Moretum. Ciris. Aetna. Elegia in Mecoenatis obitum. Et alia nonnulla, quae falso Virgilii creduntur. Argumenta in Virgilii libros, et alia diversorum complura. *Venetiis, apud Aldum. Mense Decembri M. D. XVII.* 8. — Haec classica est editio minorum carminum, e P. Bembi Codice constituta. Vid. Heynii praeff. ad Culicem, Cirin, Catalecta, Moretum. Repetita ibid. an. 1534.

1519 *Iuntina* II. maior I. P. Virgilii Mar. Opera, cum Comment. Badii Ascensii, Iulii Pomponii Sabini, Domitii Calderini. *Venetiis apud Lucam Antonium Iuntam.* fol. — Coepere nunc Iuntae, Paganini exemplo 1515. Ascensianarum edd. commentarios inferre. Heyne pag. CCII.

——Bucolica. *Lipsiae, ex aedibus Valentini Schumann.* 4. — Panzer Tom. VII. pag. 210.

——Bucolicum decem aeglogarum opus: tersum ac extrema opera castigatum: ab *Herm. Torrentino* familiariter expositum. *Venundantur Lipsiae apud Melchiorem Lottherum in regione foeni. Anno Millesimo quingentesimo decimo nono.* In fine: *Lipsiae, ex officina Melchioris Lottheri Anno dominico MDXIX.* 4. — Panzer Tom. XI. pag. 439.

——Virgilii Mar. poëtarum Achillis minutiora opuscula seu mavis lusus et lectione et imitatione dignissimi. In fine: *Lipsiae in aedibus Iacobi Thanner. Anno salutis humane MCCCCCXIX.* 4. — Edita studio M. Hieronymi Adami Budissensis. Biblioth. Breitkopf. I. pag. 388.

1520 *Egnatiana* II. Bucolica, Georgica, Aeneis, cum Servii commentariis accuratissime emendatis, in quibus multa, quae deerant, sunt addita. Graecae dictiones. Et versus ubique restituti. Sequitur Probi celebris Grammatici in Bucolica et Georgica Commentariolus non ante impressus. Ad hos Donati Fragmenta, Christophori Landini et Antonii Mancinelli Commentarii. In fine: *P. V. Bucolica, et Georgica, et Aeneidos libri XII. Venetiis in aedibus Georgii de Rusconibus et suis impensis excusi, et per Baptistam Egnatium Venetum emendati — Anno Domini MDXX. die III. Ianuarii.* 4. c. figg. — Ex ed. Veneta 1507. iisdem typis literarum et eodem foliorum numero expressa. Panzer Tom. VIII. pag. 461.

——*Iuntina* III. minor II. Virgilius. (cum Maphaei libro XIII. et cum minoribus opusculis.) In fine Aeneidos: *Florentiae per heredes Philippi Iuntae. Anno Domini M. D. XX. Nono Kalendas Augusti. Leone decimo Pont. Max.* 8. — De qua editione ill. Heynius: »Curavit eam *Antonius Francinus Varchiensis*, (est is *Antonio Francini il Vecchio*; vid. Negri Istoria — de' Fiorentini Scrittori pag. 60.) usus iudicio *Nicolai Angelii Bucinensis*; (de hoc vid. ibid. pag. 420. et Iunt. Typogr. I. pag. 50. seq.) Comparatione instituta intellexi, cum Aldina prima et secunda eam convenire; cum autem expressa sit ex ed. Iuntae Florent. 1510. videtur exemplum huius ab Angelio emendatum, nec tamen in mul-

tis locis, esse librariis operis traditum. Praefixae porro sunt: *Benedicti philologi* (*Benedetto il filologo*, vid. Negri ibid. pag. 92. et Iunt. Typogr. pag. 60.) *viri peritissimi in Virgilium annotationes.* Sunt eae paucae numero, grammaticae fere subt litatis, sed pro illis temporibus non contemnendae. Respiciunt eas passim viri docti, et receptas ex iis lectiones impugnant, ut Ecl. VIII. 77. *Necte, Amarylli, nodos.* « *Ant. Francinus* Varchiensis correctoris munia apud Iuntas gessisse videtur, idemque et textum in Iuntina Taciti an. 1527. Beroaldinum, et textum Suetonii in Iuntina an. 1515. emendavit. *Nic. Angelius*, cuius iudicio ille usus est in emendando Virgilio, princeps curator Iuntinae Plauti an. 1514. fuit. *Benedictus* philologus etiam Iuntinae Terentii praefuit ac praefatus est. Ceterum separatim etiam exstat Maphaei Vegii liber cum Analectis Virgilianis. Conf. Panzer Tom. VII. pag. 33.

——Opera. *Parisiis, typis Michaëlis Leschancher in Platea Mauberti.* 4. — Panzer Tom. VIII. pag. 68.

——Opera. *Argentinae in aedibus Iohannis Knoblouch aere communi Pauli Goetz, mense Octobri MDXX.* 8. — Panzer VI. pag. 93.

——Bucolicum decem Aeclogarum opus. *I. S.* (Ioannes Singrenius.) In fine: *Vienne. MDXX.* 4. — Denis Wiens Buchdruckergeschichte p. 205. Panzer Tom. IX. pag. 42.

——Bucolica, cum familiari expositione *Herm. Torrentini.* 1520. 4. s. l. et typogr. — Panzer Tom. IX. pag. 126.

——Aeneidos libri duodecim, summis certe vigiliis laboreque praemagno castigati. *Argentinae. Ex aedibus Schurerianis Mense Iulio Anno a Christo nato MDXX. Usui studiosorum. Dii cepta secundent.* 4. — Panzer Tom. XI. pag. 364.

1521 Opera. *Lugduni, in chalcographia Guilelmi Huyon impressoris seduli MDXXI. Mensis Iulii.* 8. — Panzer Tom. VII. pag. 332.

——Bucolica, cum verborum contextu in poëtices tyrunculorum sublevamen per *Herm. Torrentinum* triviali stilo familiariter discussa. In fine: *Impressum Viennae Pannoniae per Ioannem Singrenium. Expensis*

Luce alantse Anno domini MDXXI. In die Ciriaci martyris. 4. — Denis Wiens Buchdruckergeschichte pag. 219. seq. Panzer Tom. IX. pag. 45.

——P. Virgilii Mar. Andini bucolicum decem aeglogarum opus nulli non utile *ab Herm. Torrentino* scholiis illustratum, cui et Index vocum in fine accessit. *Excus. Lipsiae in officina Melchioris Lottheri.* 4. — Panzer Tom. VII. pag. 218.

——Georgicorum liber, cum commentariis *Herm. Torrentini. Lipsiae in officina Melchioris Lottheri.* 4. — Panzer ibid.

——Castigationes et Varietates Virgilianae lectionis per *Io. Pierium Valerianum.* In fine: *Impressit Romae Ant. Bladus Asulanus MDXXI. mense Iunio.* fol. — Panzer Tom. VIII. pag. 264. De Io. Pierio, praeclare de Virgilio merito, conf. Burmmann. praef. Virgil. sub fin. Habuit ante oculos lectionem Aldinae, et quidem secundae ex prima expressae. Receptae hae castigationes in edd. inde a Paris. 1529.

1522 Virgilius cum commentariis variis et figuris. Adiecta sunt Priapeia. *Venetiis, per Gregorium de Gregoriis.* fol. — Memoratur in Catal. Bibl. Reg. Paris. n. 823. referenda sine dubio inter Venetas ex Ascensianis ductas.

——Virgilius, ad exemplar Aldinum denuo recognitus a *Petro Vidovaeo. Parisiis.* 12. — Harles. Brev. Notit. litter. Rom. pag. 238.

1523 Opera. *Basileae, apud Io. Bebelium.* 8. — Panzer Tom. VI. pag. 241.

——Virgilius. *Ad Lectorem.* Virgilii inclyta monumenta omnia in unum volumen congesta operaque vigilanti castigata candide Lector amplecrere. Praecedit Carmen Io. Loniceri ad Iuventutem. In fine: *Argentorati Iohannes Cnoblochus excudebat Anno virginei partus MDXXIII. Octavo calendas Septembres.* 8. — Panzer Tom. IX. pag. 372.

——*Caesaris Delphini*, civis Parmensis, in carmina sexti Aeneidos libri digressio. *Venetiis, per Bernardinum de Vianis de Laxona.* 4. — Heyne pag. CCIII.

——Foscarilegia, in quibus multa Virgilii loca emendantur a *Nic. Scelsio Michaële Baroltano. Venetiis,*

apud Paul. Danza. 4. — Heyne ibid. ex Catal. Bibl. Reg. Paris. *Poëtes* n. 909.

1525 Opera. *Lugduni, per Laurentium Hylaire.* 8. — Panzer Tom. VII. pag. 338.

——— Opera, ad veterum P. Bembi et A. Naugerii exemplarium fidem castigata. *Venetiis.* fol. — Ex Aldina 1514. Heyne pag. CCIII.

——— Aeneidos libri duodecim, cum praefatione Nic. Gerbelii. *Argentorati, apud Iohannem Cnoblouchum.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 108.

1526 *Colinaei* I. Opera et opuscula. *Parisiis, apud Simonem Colinaeum MDXXVI. Octavo Calendas Maii.* 8. — Ex Aldina aliqua priore expressa. Panzer Tom. VIII. pag. 96.

——— Bucolica, cum commento. *Lugduni, apud Io. Crespinum.* 4. — Bibl. Panzeri Part. I. pag. 261. n. 2134.

——— Virgiliana Quaestio per *Franciscum Campanum Collemem. Bononiae in aedibus Io. Baptistae et Benedicti Hectoris de Faellis calcographorum accuratissimorum anno Domini MDXXVI. Kal. Martias.* 4. — Panzer Tom. VI. pag. 335. Dubitat tamen Heynius, an *MDXXXVI.* legendum sit. Vide infra ad an. 1541.

1527 *Aldina* IV. Virgilius. In fine: *Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Asulani Soceri. Anno MDXXVII. Mense Iunio.* 8. — Panzer Tom. VIII. pag. 503. Est ex Aldinis prioribus et tertia conflata lectio.

——— Virgilius. *Venetiis, per Bernardum Stagninum.* 12. — Heyne pag. CCIV.

——— Bucolica, cum commento. *Parisiis.* 4. — Memoratur in Biblioth. Harlei. Tom. I. pag. 177.

1528 Opera, ad vetustissimorum Codicum fidem acri studio castigata. Praemissa est Franc. Philelphi epistola, qua docet ille, quae Maronis sententia fuerit in scribenda Aeneide. *Basileae, apud Io. Bebelium. An. MDXXVIII.* In fine: *Basileae per Io. Bebelium 1528. Mense Martio.* 8. — Panzer Tom. VI. pag. 265.

——— Opera Vergiliana, cum decem commentis docte et familiariter exposita. *Lugduni* 1528. In fine: — *diligenti emendatione per Iacobum Mareschal al. Roland excusa Lugduni 1527. die XIX. Aug.* fol. c. figg. — Nonnulla exemplaria annum 1529. prae se ferunt.

Editio ad Ascensianas instructa, proxime tamen ad Lugdunensem 1517. Minora carmina Georgicis adiecta sunt. Decem illa Commenta sunt Servius, Donatus, Mancinellus, Probus, Beroaldus, Aug. Dathus, Domitius Calderinus, Iod. Badius Ascensius, Pierius Valerianus. Acc. Landini Enarrationes. Heyne pag. CCIV.

1529 Bucolica, Georgica, Aeneis, cum Servii, Probi et Mancinelli Commentariis, Donati Fragmentis, Io. Pierii Valeriani Castigationibus, et Iodoci Badii Ascensii Expositione. Adduntur post Georgica omnia, quae reperiri potuerunt, Virgilii opuscula. Additus etiam liber XIII. Aen. Maphaei Vegii; item multa Christoph. Landini et Phil. Beroaldi scitu dignissima. In fine: *Parisiis, per Petrum Vidovaeum typographum et librarium adscriptitium Parisiens.* fol. c. figg. — Panzer Tom. VIII. pag. 126.

——— Opera Virgiliana cum decem commentis, scil. Servii, Donati, Mancinelli, Probi, Dom. Calderini, Iod. Badii Ascensii, et aliorum. Omnia figuris et imaginibus illustrata. Accedunt Io. Pierii Valeriani castigationes et variae lectiones. *Lugduni, in typographaria officina Io. Crespini.* fol. — Biblioth. Roever. Part. I. pag. 107. n. 513.

——— In Bucolica et Georgica Adnotationes, ac loci omnes maxime Theocriti, tum etiam Hesiodi quidam, quibus usus est Virgilius, Latine redditi per *Eobanum Hessum.* E schola Norica. *Hagenoae, per Io. Secerium.* 8. — Eobani adnotationes, saepe deinceps recusae, hic primum vulgatae videntur. Praefixa eius epistola ad Fridericum Norimb. apud D. Aegidii Abbatem data est Norimbergae mense Augusto 1528. teste Heynio.

——— Vergilii Aeneidos liber primus cum enarrationibus per *Hadr. Barlandum* e vetusto Codice in lucem editus, et cum eiusdem additionibus. *Antverpiae, apud Mich. Hillenium.* 4. — Bibl. Roever. P. I. pag. 252. n. 656.

——— Castigationes et varietates Virgilianae lectionis per *Io. Pierium Valerianum. Ex officina Roberti Stephani Parisiis MDXXIX. IX. Cal. Nov.* fol. — Panzer Tom. VIII. pag. 125.

1530 Virgilius, cum *Philippi Melanchthonis* scholiis. *Hagenoae per Iohannem Secerium MDXXX. mense Martio.* 8. — Panzer Tom. VII. pag. 105. Primo hic exarata Philippi scholia, saepissime hinc in edd. repetita.

1531 *Colinaei* II. Opera. *Parisiis, apud Simonem Colinaeum.* 12. — Repetitio ed. 1526. Panzer Tom. VIII. pag. 145.

——— Opera, cum *Philippi Melanchthonis* adnotatiunculis, et alia opuscula cum Priapeiis. *Venundantur Parisiis sub Lilio, in via ad divum Iacobum MDXXXI. Mense Augusto.* 8. — Panzer Tom. VIII. pag. 151.

——— Opera. *Venetiis, in aedibus Bernardini Stagnini mense Nov. MCCCCCXXXI.* 12. — Sex post annos renovatus huius ed. titulus in fronte habet annum 1537. Harlesius in Notit. Scriptt. Lat. pag. 302. addit: *N. Scel. Luttaraeus* curavit illam, et in epistola ad Simonem de Viennis Canonicum scribit, se Virgilium mittere purgatissimum, et expositius, quam qui essent impressi, recognitum.

1532 *Roberti Stephani* I. maior. P. Virgilii Mar. Opera. Mauri Servii Honorati in eadem Commentarii ex ant. exemplaribus integritati restituti. Castigationes et Varietates lectionis per Io. Pierium Valerianum. *Parisiis, ex officina Roberti Stephani. MDXXXII. Cal. Augusti.* fol. — Stephanus Servium ex antiquis exemplaribus, inter quae unum Fr. Sylvii memorat, restituisse se profitetur; de ipso Virgilio silet, cuius lectio ab Aldina priore seu Iuntina ducta est. Pierii Castigationes, (de quibus vid. ad an. 1521.) iam an. 1529. excusae, Tomum alterum constituunt, quo exemplaria nonnulla destituuntur. Cf. Hambergeri Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern etc. Lemgo 1756. Tom. I. pag. 503.

——— Lucubrationes Poëticae seu P. Virgilii Maronis Opera. *Lugduni, ex officina Melchioris et Casparis Trechsel. MDXXXII. mense Augusto.* 8. — Panzer Tom. VII. pag. 354.

——— Iuntina huius anni 1532. est eadem cum ea, quae anno sequenti commemorabitur.

1533 Virgilius cum comment. Servii et expositionibus

multorum virorum doctorum. *Impress. Mediolani per Vincentium da Meda ad instantiam D. Nicolai de Gorgonzola anno MCCCCCXXXIII. vigesimo Idus Iunii. Quint. XXXIII. Car. IIII.* fol. — Memoratur a Maittaire Annal. Ind. pag. 329. Ducta videtur ex Venetis.

——— *Iuntina* IV. s. maior II. Opera (cum carminibus minoribus) accuratissime castigata, et in pristinam formam restituta, cum acerrimi iudicii virorum commentariis, Servii, Donati, Mancinelli, Probi, Domitii Calderini. Quibus add. adnotationes Christoph. Landini, Aug. Dathi, Phil. Beroaldi. Acc. Castigationes — per Io. Pierium — nunc iterum ab eodem recognitae — Graeca in veram lectionem reformata. *Venetiis MDXXXIII. Mense Ianuario.* At in fine: *Venetiis in aedibus Lucantonii Iuntae Florentini Anno Domini MCCCCCXXXII. Mense Septembri.* fol. c. figg. — Heyne pag. ccv. seq.

——— *Roberti Stephani* II. Opera et Opuscula. (sine commentariis.) *Parisiis, ex officina Roberti Stephani MDXXXIII. v. Calend. Octob.* 8. — Praefixam habet ex ed. Aldina tertia praefationem. Poëtae tamen verba passim ad alias editiones mutata. Panzer Tom. VIII. pag. 166.

———Bucolica, cum commento familiari (*Herm. Torrentini.*) *Londini, in aedibus Wynandi de Worde. Septima Iunii 1533.* 4. — Panzer Tom. VII. pag. 253. Conf. supra an. 1512. et 1516.

———Bucolica, cum scholiis *Wolfgangi Anemoecii*, (Wolfg. *Winthauseri*, qui sub nomine *Anemoecii* latet) ex Graecis et Latinis auctoribus collectis. *Augustae Vindelic. apud Henr. Steiner.* 8. — Panzer Tom. VI. pag. 169. coll. Tom. IX. pag. 384. De Winthausero vid. Veith. Bibl. August. I. pag. 9. seqq. Literas humaniores ille primo Monaci, postea Augustae Videl. docuit.

1534 Bucolica, Georgica, Aeneis, cum Servii Probique commentariis ac omnibus lectionum variationibus in antiquis codicibus repertis. In fine: *P. V. M. Bucolica, Georgica, et Aeneidos libri XII. Venetiis per Alexandrum Vellutellum accuratissime revisi, et emendati, et propriis expensis in aedibus Petri de Nicolinis*

Digitized by Google

de Sabbio impressi, sub Serenissimo Principe Andrea Gritti. Anno Domini M. D. XXXIV. mense Septembri. 8. — Rarissima editio, cuius exemplum est penes nos; memorata Fabricio, Maittairio, et Burio. Sequitur ea Iuntinas; lectionum autem varietas est e Pierianis Castigationibus excerpta.

———*Egnatiana* III. Opera, ex recensione *Io. Bapt. Egnatii*, cum Servii commentariis. *Basileae per Io. Walder.* 4. 2 voll. — Est mera repetitio Egnatianae an. 1507. Heyne pag. CCVI.

———Virgilius, *Philippi Melanchthonis* scholiis ut brevissimis ita doctissimis ubique exacte adnotatus. Accessere nova scholia *Christophori Hegendor.* in libros Georg. *Ioannes Gymnicus excudebat Coloniae Anno MDXXXIV.* 8. — Panzer Tom. VI. pag. 428.

———P. Virgilii Maron. Opera. Mauri Servii Honorati Grammatici in eadem Commentarii, ex antiquis exemplaribus suae integritati restituti. Cum Probi Grammatici insignis adnotationibus. Castigationes et variationes Virgilianae lectionis per Ioannem Pierium Valerianum. Cum indice eorum, quae in Servio explicantur copiosissime. *Venetiis MDXXXIV. In aedibus Aurelii Pincii Veneti.* fol. — Panzer Tom. VIII. pag. 356.

———Diversorum veterum poëtarum in Priapum lusus. P. Virgilii Maronis Catalecta *etc.* (ut in ed. an. 1517.) Quae omnia nuper diligentius sunt emendata. *Venetiis, in aedibus haeredum Aldi et Andreae soceri, mense Martio M. D. XXXIIII.* 8. — Renouard Annal. Tom. I. pag. 197. Repetita ex ed. 1517. mutatis tamen passim lectionibus, inprimis in Ciri.

1535 Virgilius. *Phil. Melanchthonis* adnotatiunculis illustratus. *Parisiis, apud Io. Parvum.* 12. — Repetitus ex ed. 1531. Heyne pag. CCVII.

———Virgilius, cum scholiis *Phil. Melanchthonis.* Accedunt diversorum lusus in Priapum. *Basileae.* 8. — Heyne ibid.

———Bucolica. *Tiguri, apud Christoph. Froschhoverum.* 8. — Heyne ibid.

———In P. Virgilii Mar. Bucolica Adnotationes *H. Eobani Hessi.* Scholia item *Leonardi Kulmanni*, quibus artificium rhetoricum explicatur. *Coloniae, apud*

Ioannem Gymnicum. 8. — Panzer Tom. VI. pag. 433.

——Bucolica, cum scholiis *Wolphgangi Anemoecii*, ex Graecis et Latinis authoribus. *Viennae, in officina Ioannis Singrenii.* 8. — Denis Wiens Buchdruckergeschichte pag. 373. Panzer Tom. IX. pag. 55.

——Erudita Scholia in Bucolica Vergilii per *Iodocum Willichium. Argentinae, apud Io. Albertum.* In fine: *M. Sept. MDXXXV.* 8. — Primum nunc prodiere haec Scholia, saepe hinc aliis commentariis inserta. Heyne pag. CCVII.

——*Donati* in libros XII. Aeneidos, quae antea desiderabatur, absoluta interpretatio. In fine: *Impressum Neapoli per Ioannem Sulzbacchium et Matthiam Cancer, quarto Idus Novembres anno Domini MDXXXV.* fol. — Prima haec Scholiorum *Tiberii Claudii Donati*, qui et vitam Virgilii scripsit, iuniorque est *Aelio Donato*, editio, Scipionis Capycii, ad quem e Bibliotheca Io. Ioviani Pontani pervenerant, studio, Paullo Flavio curante excusa; novam dein curam Ge. Fabricii 16. post annis experta. Excerpta eorum iam prolata erant in ed. Florentina 1487. et Veneta 1489. Heyne ibid.

1536 Opera, cum commentariis Servii et Pierii. *Brixiae, apud Ludovicum Britannicum.* fol. — Panzer Tom. VI. p. 342. Videtur Stephanianam an. 1532. sequi. Similem editionem vide infr. an. 1546.

——*Gryphiana* I. Opera, *Philippi Melanchthonis* illustrata scholiis. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 8. — Biblioth. Emtinck. P. IV. pag. 302. n. 1438.

——*Helii Eobani Hessi* Annotationes in Virgilii Bucolica et Georgica. *Coloniae.* 8. — Panzer Tom. VI. pag. 438. Vide an. 1529. et 1535.

1536 et 1537. *Iuntina* V. maior III. P. Virgilii Mar. Opera cum undecim Commentariis: *Chph. Landini, Ant. Mancinelli, Iod. Badii Ascensii, Servii, Donati, Probi, Dathi, Iulii Pomponii Sabini, Beroaldi, Domitii Calderini* (et *Pierii.*) *Venetiis, apud Luc. Ant. Iuntam.* 2 voll. fol. — Iunt. Typogr. Annal. pag. 16.

1537 *R. Stephani* III. sed minor. *Parisiis.* 12. — Vid. an. 1533.

——P. Virgilius Maro cum scholiis *Melanchthonis*, et Cu-

lice ex *P. Bembi* recognitione. (h. e. Aldina 1517.) *Lugduni.* 8.

———*Io. Lud. Vivis* in Bucolica Virgilii Interpretatio. *Basileae.* 8. — Hinc saepe et alias Bucolica cum Vivis inutili commentario sunt repetita, ut Mediolani 1539. Venetiis 1544. et al.

———Hunc quoque annum praefert in fronte editio Veneta Operum Virgilii *in aedibus Bern. Stagnini* an. 1531.

1538 *Gryphiana* II. Bucolica, Georgica, et Aeneis. *Parisiis, apud Franc. Gryphium.* 4. Bucolica quidem a. 1538. at Georgica 1535. et Aeneis 1537. Vid. Maittair. Annal. Ind. pag. 326.

———P. Virgilii Mar. Opera, *Phil. Melanchthonis* illustrata scholiis. Eiusdem Opuscula, Culex insuper, a P. Bembo recognita. *Parisiis, excudebat Io. Lodoicus.* 8. — Exacta videtur ad ed. Lugdun. 1537. Maittair. Annal. Ind. pag. 329.

———Paraphrasis in XVI. orationes Vergilii, quae quidem primo Aeneidos libro continentur. Per *Gasparem Heldelinum*, Ludimagistrum Lindaviensem. *Argentorati, apud Cratonem Mylium.* 8. — Heyne pag. CCVIII.

1538 et 1539 *Erythraeana* I. Opera, nunc demum *Nic. Erythraei* opera in pristinam lectionem restituta, additis eiusdem scholiis, nec non observatione diligenti cum licentiae omnis, tum diligentiae Maronianae in metris, et indice copiosissimo. *Venetiis; per Io. Ant. Sabium.* 8. 2 voll. — Maittair. Annal. Tom. III. pag. 306. Erythraei industria, etiam Henr. Stephano in praef. damnata, fere intra subtilitates grammaticas et rhetoricas substitit. Conf. an. 1500.

1539 Opera omnia, diligentia *P. Hub. Sussanaei* quam emendatissime excusa. *Parisiis, apud Io. Macaeum.* 4. — Maittair. Tom. III. pag. 306.

———Bucolica, cum *Io. Vivis* Valentini in eadem allegoriis. *Mediolani, per Minicium Calvum.* 8. — Maittair. ibid.

———P. Virgilii Mar. Eclogae decem, Calphurnii septem, Nemesiani quatuor, Sannasarii quinque. *Francofurti, apud Christ. Egenolfum.* 8. — Maittair. ibid. Conf. supra an. 1504.

——Georgicorum libri IV. commentariis illustrati per *Iod. Willichium*, cum Indice et de rusticis rebus et geographicis. *Basileae, apud Bapt. Westhemerum.* 8. — Biblioth. Roever. P. II. pag. 179. n. 1219.

1540 *Roberti Stephani* IV. sed minor. *Parisiis.* 8. — Vid. supra 1533. et 1537.

——*Colinaei* III. *Parisiis, apud Sim. Colinaeum.* 12. — Vid. 1526. 1531.

——*Gryphiana* III. *Parisiis, apud Franc. Gryphium. Excudebat Io. Lodoicus Tiletanus.* 4. — Maittair. Annal. Ind. pag. 326. 330. Bucolica quidem annum exhibent 1542. Georgica et Aeneis 1541. sex tamen posteriores Aeneidos libri 1543.

——In Bucolica *Helii Eobani Hessi* et *Leonardi Kulmanni* Annotationes. *Argentorati.* 8.

——*Franc. Campani* Quaestio Virgiliana s. Elucidationes in aliquot Virgilii loca. *Mediolani, apud Calvum.* 4. — Catal. Bibl. Reg. Paris. *Poët.* n. 910. Vid. supra ad 1526. et infra 1541.

1541 *Aldina* V. Virgilius. *Venetiis, apud Aldi filios. 1541. mense Ianuario.* 8. — Repetita ex superioribus Aldinis. Crevenna Vol. III. pag. 193. Renouard Annal. Tom. I. pag. 315.

——Bucolica, Georgica, et Aeneis, curis *P. Hub. Sussanaei* emendata. *Parisiis, apud Mich. Fezendat.* 4. — Maittair. Tom. III. pag. 329. Alia exemplaria nomen *Oudini Parvi* gerunt. Forsan partiti sunt exemplaria. Adde Burium n. 2697. Ducta ex ed. 1539.

——P. Virgilii Mar. universum poëma, una cum emendatissimis commentariis Servii et Donati, multo quam antea castigatissimum (et Carmina minora.) Addita sunt praeterea, quae in hoc ab Ascensio, viro non illiterato, scripta sunt. *Venetiis, apud Aloysium de Tortis.* fol. — Secundum Iuntinas expressam observavit Heynius.

——Bucolica, Georgica, Aeneis. *Venetiis, in officina Erasmiana.* 16.

——*Franc. Campani* Quaestio Virgiliana, per quam diligentissimus poëta negligentiae, quam Tucca et Varus ac ceteri hactenus obiecerunt, absolvitur, et sine qua multa in divina Aeneide ad hunc diem

obscurissima loca, sed in secundo praesertim et sexto, intelligi non possunt &c. *Parisiis, apud Io. Foucher.* 8. — Heyne pag. CCIX. Totus libellus versatur circa XXII. illos versus, quos Tucca ac Varus Aen. II. sustulisse feruntur. Praefixa Campani epistola data est X. Kal. Mart. 1536.

1542 *Iuntina* VI. eaque maior. P. Virgilii Mar. Opera, cum Servii, Donati et Ascensii commentariis, nunc primum suae integritati restitutis. Et quoniam Donati commentaria in Bucolica et Georgica desiderantur, Io. Pierium substituimus. Quae omnia exactissima cura nuper excusa, emendatiora nunc exeunt, quam nunquam prodierint. *Venetiis, apud haeredes Lucae Antonii Iuntae MDXLII. mense Ianuario.* fol. c. figg. — Iunt. Typogr. Annal. II. pag. 271.

——— *Colinaei* IV. Bucolica, Georgica et Aeneis. *Parisiis, apud Sim. Colinaeum.* 12. — Maittair. Tom. III. pag. 340.

——— *Gryphiana* IV. Opera, ex castigatione *Ant. Goveani. Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 8. — Etiam an. 1541. nonnulla exemplaria exhibent. Habet praefixam Goveani epistolam: iactat tamen falso doctissimi viri castigationem. *Foedissimorum mendorum sentinam* appellat eam Henr. Stephanus in praefat. suae editionis. Heyne pag. CCX.

——— Bucolica, Georgica, Aeneis. *Parisiis, apud Petrum Gromorsum.* 4. Bucolica quidem cum Georgicis 1542. Aeneis autem 1545. Vid. Maittair. Ind. pag. 326. Videtur recusa ex ed. Sussanaei an. 1541.

——— Moretum, cum notis ex praestantissimis scriptoribus, maxime ex *Io. Ruellii* Medici lucubrationibus, per Hub. Sussanaeum collectis. *Parisiis, apud Sim. Colinaeum.* 12. — Maittair. Ind. pag. 331.

——— Ad Virgilii Opera Loci aliquot — a *Georg. Leonberger. Ingolstadii.* 8. — Opera pro illo tempore non indocta, et cuius adhuc usus esse potest. Enotata sunt loca cum veterum, Gellii, Macrobii, et Grammaticorum, tum Philologorum, in quibus aliquid in Virgilium est observatum. Heyne pag. CCXI.

1543 *Iuntina* VII. minor. P. Virgilii Mar. Latinorum poëtarum facile principis Opera, utilissimis argumen-

tis et adnotationibus illustrata et accurate castigata. *Florentiae, apud Iuntas.* 8. — Iunt. Typogr. Annal. pag. 236.

——— Bucolica, cum scholiis *Phil. Melanchthonis, Willichii, Eobani Hessi, Leon. Kulmanni. Antverpiae, apud Io. Loe. MDXLIII. mense Maio.* 8. — Maittair. Ind. pag. 330.

——— Bucolica. *Parisiis, apud Mich. Vascosanum.* 4. — Biblioth. Roever. P. I. pag. 252. n. 659.

——— Tityrus, Ecloga, allegorica interpretatione illustrata per *Io. Bellofilium. Parisiis, apud Simonem Colinaeum.* 8. — Maittair. Ind. pag. 330.

——— *Fulvii Ursini* Notae in Servium, et *Fr. Robortelli* Explanationes in Virgilii Aeneidos libr. I. collectae a *Io. Bapt. Busdrago. Lugduni.* 8. — Conf. Th. Crenii Animadv. philol. P. IV. c. 1. pag. 7.

1544 P. Virgilii Mar. universum poëma, exactissime castigatum. Servii integra expositio: Probi — Ioannisque Vivis Allegoria, Iodoci Willichii super Georgic. expl. *etc.* etiam varietates lectionum cum a Io. Pierio tum ab aliis doctissimis viris hactenus observatae. *Venetiis, apud Hieron. Scotum.* fol. — Expressa iuxta Venetam 1541. et 1542.

——— *Gryphiana* V. Opera cum opusculis — omnia accuratius emendata. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 16.

——— *Egnatiana* IV. Bucolica, Georgica, et Aeneis, cum commentariis Servii et Ael. Donati. *Basileae, per Hieron. Curionem.* fol. — Exstabat in bibl. Lud. Bern. L. B. de Zech an. 1780. divendita. Typographi Basil. nomen addimus ex Catal. libr. Mannhemii an. 1779. distractorum. Eaque igitur sit, quam Basileensem Egnatianam laudat Burmannus Sec. in praef. ad Virgilium.

——— Scholia in Georgicorum P. Virgilii Mar. libros IV. doctissima D. *Phil. Melanchthonis*, nunc primum in lucem edita. Adi. Eobani Hessi Adnotationes: ad haec brevis explicatio vocabulorum de agricolarum instrumentis per *Iodocum Willichium* Reselianum. *Basileae, apud Barthol. Westhemerum. Anno MDXLIV. mense Augusto.* 8. — Non sunt haec confundenda cum Scholiis Philippi in edd. Paris. Io. Gastius Brisacensis, qui praefatur, esse ea ex Me-

lanchthonis ore ab auditore quodam excepta, diserte narrat.

———*Iulii Pomponii Sabini*, Grammatici, in omnia Virgilii Opera Commentarii. *Basileae, apud Io. Oporinum.* 8. — Vid. supra ad an. 1487.

———*Adriani Barlandi* Annotationes in quatuor priores Aeneidos libros. *Antverpiae.* 8.

1545 *Gryphiana* VI. *Parisiis, apud Franc. Gryphium.* 8.

———*Aldina* VI. Virgilius, post omnes omnium editiones accurate emendatus. *Apud Aldi filios. Venetiis.* 8. — Renouard Annal. Tom. I. pag. 233.

———Virgilius, *Philippi Melanchthonis* scholiis illustratus. *Coloniae.* 8.

1546 Opera, cum Maphaei supplemento et *Phil. Melanchthonis* annotationibus. *Basileae, per Nic. Brylinger.* 12. — Alia exemplaria habent annum 1545.

———Opera, cum comment. Servii et annotatt. ex Doleti Comment. LL. *Brixiae, apud Ludovicum Britannicum.* fol. — Conf. supra an. 1536.

———*Gryphiana* VII. Opera cum opusculis. *Lugduni, per Seb. Gryphium.* 16.

———P. Virgilii Mar. Partheniae Mantuani Opera, post omnes omnium editiones nunc demum revisa et emendatiora reddita. Aelii Antonii Nebrissensis— ecphrases admodum familiares — *Apud inclytam Granatam.* 4. — Vid. Specimen Biblioth. Maians. pag. 37. De fonte editionis non constat.

———Eclogae. *Francofurti ad M.* 8.

Ad hanc aetatem porro pertinent editiones sequentes sine anni nota:

. . . . Manuale Vergilianum. P. V. M. (P. Virgilii Mar.) poëtarum facile principis Bucolica Georgica et Aeneid' Iodoci Badii Ascensii sententiarum dilucidatione inornata.

Subduxit morti vivax pictura Maronem
Et quem parca tulit reddit imago virum.

Figura ligno incisa, sistens Virgilium etc. Haec in fronte fol. 1. a. Folio eodem b. LAUS SOLI CHRISTO. *Ludovicus Hohenwang Elchingensis Lectori salutem plurimam dicit.* Accedunt in fine Probae Falconiae Virgilii centones, et Index moralitatum in Enchiridion Virgilianum. 8. s. a. et l. charactere

literarum neogothico et ingrato. — Panzer Tom. XI. pag. 540.

. . . . Virgilius s. a. l. et typogr. 8. cum Aldi Manutii epistola. Italico charactere. Reddit Aldinam priorem. Excusa est Lugduni; vid. Renouard Annal. Tom. II. pag. 197. Inter Florentinas Iuntarum retulit Panzer Tom. VII. pag. 12. sub anno 1509. Conf. Maittair. Tom. II. pag. 149.

. . . . Editio *Colinaeana* s. a. 8. memoratur in Bibliotheca Reg. Paris. n. 828. et in Biblioth. Smith. pag. DI. De eadem agit Maittair. Tom. III. pag. 318.

. . . . Bucolica et Georgica, cum commento familiari (*Herm. Torrentini.*) *Parisiis, impressa per Felicem Balligault.* s. a. 4. — Biblioth. Bunav. Tom. I. pag. 302. Etiam in Biblioth. Hulsiana et aliis laudari videas.

. . . . Aeneidos libri VI. sine titulo, 4. memorantur Maittairio in Indice Annal. pag. 331.

. . . . Aeneis, novis et elegantioribus formis expressa. *Lipsiae.* 4. s. a. — Panzer Tom. VII. pag. 236.

. . . . P. Virgilii Mar. quinque carmina pulcherrima. 1. de Viro bono. 2. de Ludo. 3. de Venere et Baccho. 4. de Livore. 5. de Litera Pythagorae. Fr. Bapt. Mantuani Carmen votivum ad beatam Virginem. 4. s. a. et l. — Panzer Tom. IX. pag. 195. Forte eadem cum ed. s. a. et l. quam sub. an. 1503. recensuimus.

AETAS III. *PULMANNO — FABRICIANA.*

1546 — 1636.

A principibus: Theod. PULMANNO, Philologo summo, qui haud notis modo Virgilium illustravit inde ab an. 1546. sed et exemplaria vetera cum impressa, tum msta maxime ad textum emendandum adhibuit, quod ipse in praefatione editionis suae III. an. 1564. profitetur, adeoque textum Plantinianis suppeditavit; et Ge. FABRICIO Chemnicensi, accuratae doctrinae viro, qui cum in ipso poëtae textu emendatius edendo cum laude versatus est, tum Servii et Donati Commentariis castigandis egregiam operam adhibuit, cujus fructus in publicum produxit primum editio Henricopetrina I. an. 1551.

repetita mox, et variorum interpretum commentariis locupletata, seu onerata, an. 1561. 1575. 1586. et Lud. Lucii studio 1613. Praeter haec duo nomina, superioribus Pierii, Rob. Stephani, cett. superaddita, celebrantur *Io. Hartungi*, *Petri Nannii*, *Fulvii Ursini*, *Pauli Manutii*, novae Aldinae an. 1555. curatoris, cuius etiam notas cum observationibus Fabricii iunctas emendatius excudit Christoph. Plantinus; unde novum post Pulmannianas genus Plantinianarum exstitit. Cui tertium successit cum pereruditis *Germani Valentis Guellii* commentationibus et *Ios. Scaligeri* castigationibus in Appendicem Virgilii et *Frid. Lindenbruchi* notis. Aldinae, Pauli Manutii annotationibus ornatae, successit Aldina *Io. a Meyen*, Belgae, scholiis celebris, neque tamen eo melioris notae. Rob. Stephanianae cessere ab an. 1577. illis *Henr. Stephani*. Gryphiana quoque inde ab anno 1560. novam curam experta est. Accessere in Germania post Fabricium *Greg. Bersmannus*, inde ab anno 1581. cultus, et *Frid. Sylburgius*, Erythraeanae emendator. *Paul. Gabianus* an. 1565. edidit variationem lectionis in Virgilium e Codice Mediceo collectam. *Sanctandreana* an. 1589. nova recensione et libro antiquarum lectionum commendabilis, cum eius filiis, *Commelinianis*. Servius in Virgilium post Fabricium ex antiquissimo exemplari longe melior et auctior prodiit an. 1600. cura *P. Danielis*, quam editionem Genevenses secutae sunt. Idem quoque protulit Fabii Planciadis Fulgentii librum de Continentia Virgiliana auctiorem; uti Iunium Philargyrium in Bucolica et Georgica primus *Fulvius Ursinus*. Ex novis Commentatoribus hac aetate palmam inter multos tulere *Germanus Valens* (Vaillant) *Guellius* ab an. 1575. *Iac. Pontanus* S. I. ab an. 1599. *Io. Lud. de la Cerda*, doctissimus interpres, ab an. 1608. et *Frid. Taubmannus*. Ceterorum interpretum plerumque vulgarium, quos ex indice huius aetatis cognoscere liceat, agmen claudit *Thomas Farnabius*, ab an. 1634. futuris aetatibus familiaris.

1546 *Pulmanniana* I. P. Virgilii Mar. Opera, *Theodori Pulmanni* annotationibus illustrata. *Antverpiae*, *apud*

Christoph. Plantinum. 16. — Memoratur tum aliis, tum Burio Biblioth. instr. n. 2680. Probabile tamen est Heynio, per errorem eam laudari, anno male exarato pro 1564. ad quem an. vide.

——— *Fabriciana* I. P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica, et Aeneis, cum adnotationibus. *Lipsiae, per Valentinum Papam.* 8. — A *Phil. Becchio*, tum adolescente, posthaec Professore Basileensi, conscriptas adnotationes has, quae fere sub *Georg. Fabricii* nomine venire solent, notat Heynius ex Gesneri Biblioth. per Frisium pag. 689. commendatque Ioach. Camerarius in Epistola ad Georg. Fabricium VII. Kal. Octobr. sed nullo anno adscripto data, ac forsan huic editioni primum, uti deinceps et aliis praefixa. In eadem epistola Camerarius profitetur, se descriptum ex Fabricii Msto Virgilium Lipsiam asportasse et excudendum curasse. Quod Mstum nullum aliud potuit esse, quam exemplar, quod Fabricius prelo subiiciendum paraverat: nam scriptos Codices Fabricius habuit nullos.

1547 *Gryphiana* VIII. P. V. M. Opera cum opusculis. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 12.

———Virgilius *Phil. Melanchthonis* adnotationibus illustratus. *Tiguri, apud Froschhover.* 4.

1548 *Gryphiana* IX. P. Virgilii Mar. Opera, notis et argumentis et scholiis illustrata. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 8. — Crevenna Vol. III. pag. 193.

———Opera, cum *Pierii* castigationibus. *Brixiae.* fol. — Laudatur a Petr. Burmanno in Admonit. de edit. Masvic.

——— *P. Virgilii Opera indubitata cum reliquis et dubiis. Lipsiae.* 8. quo titulo editiones fere e Georg. Fabricii recensione insignitae sunt. Memorari eam vidit Heynius, sed de anno dubitat, an forte sit legendum 1568.

———Bucolica, cum *Herm. Torrentini* commento. *Antverpiae.* 8. — Conf. Th. Crenii Animadv. philol. P. IV. c. 1. pag. 6.

———Georgicorum libri IV. *Phil. Melanchthonis* scholiis illustrati. *Parisiis, per Thom. Richardum.* 4. — Maittair. Tom. III. pag. 410. Ex eadem officina 1549. Aeneis, et 1550. Bucolica prodiere. Unde fit, ut

edd. Virgilii Parisinas horum annorum passim laudari videas.

———*Io. Lud. Vivis* in Bucolica Virgilii Interpretatio. *Parisiis, per Thom. Richardum.* 4.

1549 *Roberti Stephani* V. minor. P. Virgilii Mar. Opera. *Lutetiae, ex officina Rob. Stephani.* 12.

———Opera et opuscula, cum Maphaei Vegii supplemento Aen. *Basileae.* 8. — Exstat in Biblioth. Francof. ad Moen.

———Aeneidos libri. *Parisiis, apud Thomam Richardum.* 1549. et ad calcem: *Excudebat Thomas Richardus. 1548.* 4. — Vid. an. 1548.

———*Iod. Willichii* Scholia posteriora in P. Virgilii Mar. Bucolica. Eiusdem Commentarii in Virgilii Opuscula, de re Hortensi, et Epigrammata ethica. *Basileae, apad Io. Oporinum.* 8. — Sic quidem Bibl. Roever. P. II. pag. 179. n. 1220. Harlesius et Heynius eam recensent sub an. 1548.

1550 *Gryphiana* X. P. Virgilii Mar. Opera, una cum Opusculis, quae eius nomine circumferuntur, omnibus. Omnia denuo ad castigatissimorum exemplarium fidem quam accuratissime emendata. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 12. — Crevenna Tom. III. pag. 193. Heynius sub hoc anuo refert eandem 8. nos ad annum seq.

———Bucolica. *Parisiis, apud Thomam Richardum.* 4. — Vid. ad an. 1548.

1551 *Gryphiana* XI. Operum. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 8. — Ex Catal. biblioth. Coll. quondam S. I. Lovaniensis 1779. divenditae.

———*Henrico-Petrina* I. P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica, et Aeneis, (*et Carmina minora cum commentariis*) nunc cum veris commentariis Tib. Donati et Servii Honorati summa cura editis et diligenter emendatis (*per Georg. Fabricium.*) Accesserunt his *Io. Hartungi* Annotationes in libros Maronis Aeneidos diligenti cura ab ipso authore collectae. Item *Bonfinis* super locum quendam Aen. libr. IV. ubi IN et ET incuria quadam sibi positum videtur. Cum Indice duplici — summa cura et fide ab eodem Fabricio collecto. *Basileae, apud Henricopetri.* fol. — Quod ad Donatum et Servium attinet, haec edi-

tio inter classicas est referenda. Donatum Neapoli secum attulerat Fabricius, h. e. editionem ibi vulgatam an. 1535. In ipso poëta nihil operae tum quidem collocasse videtur, certe nullos Mss. consuluisse. Epistola ad Valent. Gravium praefixa iam an. 1547. data est, ut adeo quatuor annos sub prelo sudasse Virgilium necesse sit.

——*Fabriciana* II. Operum cum Carminibus minoribus. *Lipsiae, per Valent. Papam.* 8. — Expressa ex ed. Lips. 1546. Vid. Gesneri Biblioth. per Frisium pag. 268. b. unde intelligitur, Virgilio a Georg. Fabricio emendato tum primum lectionis varietatem eiusdem viri accurate docti industria accessisse. Quod etiam Georg. Fabricii Epistola ad Ioach. Camerarium VIII. Cal. Febr. 1551. scripta confirmat, quae in edd. Lips. ante Culicem praefigi solet.

——Bucolica, cum commentario *Herm. Torrentini. Antverpiae. Exc. Io. Verwithhaghen.* 8. — Maittair. Tom. III. pag. 605.

——Dialysis quatuor librorum in Georg. Virgilii: auctore D. *Iodoco Will.* (Willichio) Ruselliano. Signorum prognosticorum de tempestatibus aëris physica explanatio, eodem auctore. *Francofurti ad Viadr. in offic. Io. Eichhorn.* 8. De consilio et scopo Aeneidos *etc.* eodem auctore, ibid. 1551. 8.

1552 *Iuntina* VII. maior. Opera ad vet. P. Bembi et A. Naugerii exemplarium fidem castigata, cum Servii, Donati, et aliorum commentariis. *Venetiis, apud Iuntas.* fol. — Vide ed. 1525.

1554 Opera cum scholiis *Phil. Melanchthonis* et *Christoph. Hegendorphini. Moguntiae.* 8.

——*Gryphiana* XII. Opera (una cum Opusculis) novis argumentis et scholiis illustrata, denuoque ad fidem castigatissimorum exemplarium quam diligentissime restituta. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 8. c. figg. — Praedicat in praefat. Gryphius castigandi interpungendique diligentiam: nova argumenta adposita et scholia, quibus loca, inprimis ex Graecis poëtis, adscripsit, quae Virgilius imitatus est.

——Bucolica, cum commentario *Rich. Gorraei* Parisiensis. *Lugduni, apud Gul. Rouillium.* — Maittair. Tom. III. pag. 648.

——— P. Virgilii Mar. Aeneidos libri IV. priores, Latine et Gallicis versibus interprete *Ludovico de Masures.* Eiusdem Georgica, Latine et Gallicis versibus interprete *R. le Blanc. Parisiis, apud Car. l'Angelier.* 8. — Maittair. Ind. pag. 331.

1555 *Aldina P. Manutii* I. Virgilius. Corrigente *Paulo Manutio Aldi filio. Venetiis, apud Paulum Manutium.* 8. — Renouard Annal. Tom. I. pag. 293. Virgilii poëma emendatum a se etiam in praefatiuncula pronuntiat P. Manutius. Ita v. c. Aen. XII. 221. primus induxit *tabentesque genas.* Annotationes nondum in hac ed. apparent. Conf. an. 1558.

——— *Erythraei* II. Operum, cum eius scholiis et indice. *Venetiis, apud Io. Ant. Sabium.* 8. — Index an. habet 1556. vel seorsim excusus h. a. Repetita ex prima an. 1538. et 1539. Conf. Iunckeri Notit. hist. bibl. publ. Gymn. Isenacensis an. 1709. pag. 81.

——— *Gryphiana* XIII. Opera cum Opusculis, ad castigatissimorum exemplarium fidem emendata. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 12. — Bibl. Emtinck. P. IV. pag. 439. n. 400.

——— P. Virgilii Mar. Opera omnia innumeris pene locis ad veterum Petri Bembi Cardinalis et Andreae Naugerii exemplarium fidem postrema hac editione castigata, cum XI. commentariis, Servii praesertim ac Donati, ad suam integritatem restitutis, et aliis omnibus, quorum nomina versa pagina monstrantur. Vita ipsius authoris a Donato perquam copiosissime descripta. Copiosissimusque Index adiectus est. Denuo post omnes omniumque editiones perquam diligentissime castigata atque elaborata. *Venetiis, apud Hieron. Scotum.* fol. — In pag. aversa primum ita scriptum est: »Interpretantur *Servius* Bucolica, Georgica et Aeneida: *Donatus*, ad integritatem restitutus, Aeneida: *Probus* et *Mancinellus* Bucolica et Georgica: *Ascensius* Bucol. et Georg. Aeneida et opuscula: *Augustinus Dathus* quaedam in Aeneide: *Iac. Constantius Phanensis* quaedam in Georgicis: *Domitius Calderinus* Opuscula: cum adnott. *Phil. Beroaldi* et *Angeli Politiani.* His acc. *Io. Pierii Valeriani* castigg. et varietates Virgilia[illegible]lectionis.« Tum sequitur elen-

chus opusculorum XXV. quam maxima fieri potuit diligentia emendatorum; n. Culex, Dirae in Battarum *etc.* Ultimum est, in Priapum lusus. Ipse contextus in hac ed. est in multas minores partes dissectus, et singulis statim adiectae sunt adnotationes varii generis pretiique. Harles. Supplem. ad brev. Not. Litter. Rom. P. I. pag. 366. seq.

——Eclogae, Latine et Gallicis versibus, prior interprete *Clem. Maroto*, novem proximae *Richardo le Blanc*, cum notis interpretis. *Parisiis, apud Carolum l'Angelier.* 8. — Maittair. Ind. pag. 331.

——Bucolica, *P. Rami* praelectionibus exposita. *Parisiis, apud Andr. Wechelum.* 8. quas, uti seqq. eiusdem in Georgica, ne pueris quidem in manus dari velit Heynius. Recusae tamen saepius, et a Io. Frisio excerptae.

——*Seb. Corradi* Commentarius, in quo P. Virgilii Mar. liber primus Aeneidos explicatur. *Florentiae, excudebat Laur. Torrentinus.* 8. — Maittair. Tom. II. pag. 669.

1556 *Gryphiana* XIV. Opera, cum supplemento Maphaei et Opusculis, novis et argumentis et scholiis illustrata, denuoque ad fidem castigatissimorum exemplarium quam diligentissime restituta. *Lugduni, apud Seb. Gryphium.* 8. — Maittair. Tom. III. pag. 684. Vide modo de ed. Gryph. 1554.

——P. Virgilii Mar. Opera, una cum Opusculis, quae eius nomine circumferuntur, omnibus. *Antverpiae. Excudebat Mart. Nutius.* 12.

——Opera, scholiis illustrata. Accedunt *Christoph. Hegendorphini* annotationes in Georgica. *Lugduni, apud Antonium Vincentium.* 12. — Bibl. Roever. P. II. pag. 323. n. 159.

——Fabriciana I. Lipsiensis repetita fertur quibusdam h. an. *Lipsiae.* 8.

——Bucolica. *Lugduni, apud Theobaldum Paganum.* 8. — Maittair. Tom. III. pag. 685.

——Bucolicorum explicatio perscripta de commentatione *Ioach. Camerarii:* cum indicatione et interpretatione locorum Theocriti *Eobani Hessi: Io. Sturmii* in priores tres eclogas commentariolus. *Argentorati, per Blasium Fabricium.* 8.

———*Martini Crusii* Scholia in I. II. et III. Virgilii eclogam. *Argentorati*, apud eund. 8.

———Georgica, cum *P. Rami* commentariis. *Parisiis*, *apud Andr. Wechelum.* 8. — Maittair. Ind. pag. 330.

1557 *Fabriciana* III. P. Virgilii Mar. Operum maiorum Tomus I. minorum: Culex *etc.* Tomus II. ex recognitione *Georg. Fabricii*, cuius observationes Virgilianae lectionis accessere. *Argentorati*, *apud Rihelium.* 8. — Vide paullo ante ad an. 1551. Haec est illa editio, de qua Fabricii epistola in vita per Schreberum conscripta pag. 206. est accipienda, Fabricianarum quodammodo princeps.

———Opera una cum Opusculis *etc. Lugduni*, *apud Theob. Paganum.* 8. — Videtur ex Gryphiana an. 1556. fluxisse.

1558 *Aldina P. Manutii* II. Virgilius Maro, *Pauli Manutii* adnotationibus, in libri margine ob studiosorum commodum adscriptis, illustratus. *Venetiis*, *apud Paulum Manutium Aldi F.* 8. — Pleraque ex Servio hausta. Alia admixta non magni momenti, etiam a seqq. editoribus. Sugillat haec scholia H. Stephanus in praef. suae editionis.

———P. Virgilii Mar. universum poëma (et Carmina minora) cum Servii et Iod. Badii Ascensii interpretatione; Probi Ioannisque Vivis Allegoriis; Io. Willichii eruditis super Georgica commentariis; quibus accesserunt Coelii, Scopae, Constantii, Campani, Crucii lucubrationes et annotationes. *Venetiis*, *arud Mariam Bonellum.* fol. — Ad ed. Venetam Scoti 1544. excusa, et vulgo pro accuratissima habita.

———Opera, cum scholiis *Phil. Melanchthonis. Parisiis*, *apud Thom. Richardum.* 4.

1559 Opera, *Phil. Melanchthonis* scholiis illustrata. *Francofurti.* 8.

———Bucolica, cum praefat. *P. Rami. Parisiis*, *apud Andr. Wechelum.* 8. — Conf. Engelii Bibl. select. pag. 163.

———*P. Nannii*, Alcmariani, in P. Virgilii Mar. Bucolica commentaria docta et accurata, nunc primum in lucem edita. *Basileae*, *per Io. Oporinum.* 12. — Post mortem Nannii, qui adhuc praefatus est, edidit illa Theodoricus Langius. Textus est in minutas sectio-

nes divisus, commentario, maximam partem grammatico, statim subiecto, et Theocritus diligenter comparatus. Conf. Goetzii Mem. Bibl. Dresd. II. pag. 301. seq. Num in Georgica quoque et Aeneida commentatus fuerit Nannius, quod ex elencho editionum Heyniano suspicari licet, nescio, atque dubito: saltem Langius in epistola scribit, Nannium, fatis interceptum, Bucolica tantum ad finem perduxisse. Harles. Introduct. in Not. lit. Rom. P. II. pag. 306.

——*Lamb. Hortensii* Montfortii Enarrationes in sex priores libros Aeneidos Virgilianae. His accesserunt illustres annotationes in sex eiusdem poëtae posteriores libros, eodem *Lamb. Hortensio* auctore. Item rerum et verborum copiosus Index. *Basileae, per Henricum Petrum et Io. Oporinum.* fol. — Commentarii in sex priores libros sunt amplissimi, et non carent eruditione; verum pro more istorum temporum congesta sunt plurima ad singulas voces, sententias et loca, quae ad poëtam nihil faciunt; quae monitu opus erat, frustra quaeras. Breviores sunt leviores adnotationes in sex reliquos libros, neque tamen eo meliores.

1560 Ad hunc forsan annum referenda est *Erythraeana*, quae supra ad an. 1500. per *Franc. Rampazetum* excusa, pro I. habita est. Conf. an. 1565.

——*Aldina P. Manutii* III. P. Virgilius Maro. *P. Manutii* annotationes, et Homeri loca magis insignia, quae Virgilius imitatus est, in margine notata. *Venetiis, apud P. Manutium Aldi F.* 8. — Vide modo an. 1558.

——*Gryphiana* XV. P. Virgilii Mar. Opera, una cum Opusculis, quae eius nomine circumferuntur. Omnia denuo ad castigatissimorum exemplarium fidem quam accuratissime emendata. *Lugduni, apud haeredes Seb. Gryphii.* 12. — Nova haec est recensio *Antonii Gryphii*, qui priori patris *Sebastiani* praefationi suam praemisit Kal. Dec. 1560. scriptam, in eaque haec profitetur: *quem* (Virgilium) *ut emitteremus, undique conquirendis multis exemplaribus, quae calamo et stylo exarata nobis ipsa vetustate magnopere probarentur, neque sumptibus, neque labori unquam par-*

cendum putavi. In quo permagna gratia habenda est D. L. Fabricio I. U. C. Mediolanensi, publicae utilitatis studiosissimo: qui de proavis et atavis suis nobis exhibito vetustissimo exemplari fecit, ut quod antea sine sensu legeretur libro VI. Aeneid. pag. 273. (huius ed. alias post v. 774.) Hi Collatinas imponent montibus arces Pomerios *etc. nunc interpositione versiculi* (775.) *nunquam antehac excussi, ne animadversi quidem:* Laude pudicitiae celebres, addentque superbos Pomerios *etc. totus locus planus et perspicuus efficiatur.* Sed in hoc pro thesauro carbones. Vide Heynium ad eum locum. Exstat in Biblioth. Bipont.

1561 *Henrico-Petrina* II. Bucolica, Georgica, et Aeneis, cum veris Donati et Servii et Probi Commentariis a *Georg. Fabricio* emendatis: notis item recent. Pomponii Sabini, Phil. Beroaldi, Io. Hartungi, Iod. Willichii, Georg. Fabricii, Bonfinis, Vivis, Coelii Rhodigini, Barlandi, Scopae, Constantii Campani, Crucii et alior. *Basileae, apud Henricopetr.* fol. — Eius fundus est ed. 1551.

——— *Tigurina* I. *Io. Frisii.* P. Virgilii Mar. poëmata quae extant omnia, *Phil. Melanchthonis* annotatiunculis illustrata; adiectis figuris ligno incisis et doctissimorum virorum scholiis et annotationibus. *Tiguri, apud Christoph. Froschhover.* 8. — Sequitur sine dubio ed. 1547. Post praef. Phil. Melanchthonis ad lectorem *Io. Frisius* Tigurinus praefatur epist. Christoph. Froschhovero iuniori inscripta Kal. Mart. 1561. qua contextum collatis optimarum editionum exemplaribus quam diligentissime correctum et emendatum affirmat. Idem annotationes breves in Bucolica et Georgica ex variis interpretibus, inprimis P. Rami praelect. item difficilium vocabulorum interpretationem Germanicam adiecit. Acc. Christoph. Hegendorphini in Georgica annotatiunculae. Ex Steph. Doleti de L. L. Commentariis in Aeneid. decerptae annotationes. Repetita Francof. an. 1567.

——— *Pulmanniana* II. Opera, *Theod. Pulmanni* studio correcta, cum Maphaei Vegii Aeneidos libro XIII. *Antverpiae, apud Plantinum.* 8.

——— Venetam Virgilii editionem an. 1561. fol. memorari vidit Heynius; quam tamen nullam aliam es-

se arbitratur, quam mox memorandam Ven. 1562.

1562 P. Virgilii Mar. universum poëma, cum absoluta Servii Honorati Mauri, Grammatici, et Badii Ascensii interpretatione: Probi et Io. Vivis in Eclogas allegoriis, Iodocique eruditis super Georgica commentariis. Quibus access. Lud. Coelii Rhodigini, Io. Scoppae Parthenopaei, Iac. Constantii Fanensis, Franc. Campani Colensis, Iac. Crucii Bonon. nec non alterius docti hominis lucubrationes et annotationes in loca difficiliora. Elegantissimae praeterea librorum omnium figurae, argumenta, lectionum denique varietates, quas et Io. Pierius et alii doctissimi viri hactenus observarunt. Quae non, ut antea, plurimis foedata mendis, sed acri studio emendata, atque omni, quantum licuit, ex parte expolita emisimus, quod alios libros cum nostro conferentibus patebit. *Venetiis, apud Io. Mariam Bonellum.* fol. — Nitida editio, et si fides est habenda laudi in titulo iactatae, at superioribus seculis sollemni, bonis et emendatis adnumeranda. Conf. supra an. 1558.

——— Bucolica cum verborum contextu, per *Herm. Torrentinum* triviali stylo familiariter discussa. *Antverpiae, per Io. Latium.* 8.

1563 *Aldina P. Manutii* IV. P. Virgilius Maro. *Pauli Manutii* adnotationes, et Homeri loca magis insignia, quae Virgilius imitatus est, in margine notata. *Venetiis, apud P. Manutium Aldi F. MDLXIII.* 8. — Repetitio ed. 1560. Renouard Annal. Tom. I. p. 339.

——— P. Virgilii Mar. omnia quae exstant Opera, novis et argumentis et scholiis illustrata, denuoque ad fidem castigatissimorum exemplarium quam diligentissime restituta. *Basileae, apud Nic. Bryling.* 8. — Tota ad Gryphianam an. 1554. exacta, habet post vitam Virgilii praefationem et scholia Melanchthonis.

——— *Seb. Reguli* in I. Aen. Virgilii ex Aristotelis de Art. poët. et rhet. praeceptis Explicationes. *Bononiae per Io. Rubeum.* 4. Partes II. quarum altera prodiit 1565. — Ad Aristotelis praecepta, quo quidem modo illa tum accipi solebant, Aeneis exigitur: propositum esse poëtae, tolerantissimi et fortissimi principis et

perfecti viri simulacrum effictum ostendere; et sic alia a rerum veritate aliena. Reliqua ad subtilitates rhetoricas sunt exacta a poëtices indole alienas. Heyne pag. CCXIX.

1564 *Tigurina* II. *Io. Frisii.* Opera, cum *Phil. Melanchthonis* et aliorum virorum doctissimorum scholiis. *Tiguri.* 8. — Vide paullo ante 1561.

——— *Pulmanniana* III. Opera, *Theod. Pulmanni* studio correcta. Pauli Manutii annotationes. Homeri loca, quae Virgilius imitatus est. Georg. Fabricii observationes. *Antverpiae, apud Christoph. Plantinum.* 12. — Typis nitidis eleganter expressus liber. Pulmannus in epistola ad Casp. Schetum Corvinum, v. Id. Octobr. 1563. data, exemplaria cum manuscripta, tum typis impressa, se comparasse profitetur.

——— Georgica, *P. Rami* praelectionibus illustrata. *Parisiis, apud Andr. Wechelum.* 8. — Crevenna Tom. III. pag. 204.

——— *P. Bembi* de Virgilii Culice et Terentii fabulis libellus. *Florentiae.* 4.

1565 *Erythraei* III. Opera, ad *Nic. Erythraei* recensionem. *Venetiis, apud Franc. Rampazetum, expensis Melch. Sessae.* 8. — Memoratur a Sylburgio in praef. ed. Francof. 1583.

——— Georgica, brevibus *P. Manutii* et aliorum annotationibus illustrata. *Antverpiae, apud Christoph. Plantinum.* 8.

——— Bucolica et Opuscula minora. *Antverpiae,* apud eund. 8.

——— Varia lectio in Virgilium a *Paulo Gabiano* collecta (e Cod. Mediceo.) *Brixiae.* 8.

1566 *Erythraei* IV. Opera, ad *Nic. Erythraei* recensionem. *Venetiis, ex officina Franc. Laurentini.* 8. — Memoratur Sylburgio in praefat. ed. Francof. 1583.

——— Opera (cum Opusc. minor.) Pauli Manutii annotationes in margine adscriptae: Homeri loca insignia, quae Virgilius imitatus est: Georg. Fabricii Chemn. Observationes Virgilianae lectionis. *Antverpiae, ex offic. Plantin.* 8. — Nihil aliud egit Plantinus, quam ut Manutianas editiones an. 1555. 1558. 1560. repeteret. Ipse in praefatione, se exemplar Venetum, et, quod ex Veneto deinde editum sit,

Lugdunense, rectitudine et veritate superasse profitetur.

——Bucolicorum Virgilii simplex et dilucida metaphrasis — auctore M. *Mentone Gogrevio. Vitebergae per heredes Georg. Rau.* 12.

1567 *Erythraei* V. Opera, e *Nicol. Erythraei* recensione. *Lugduni.* 8. 2 voll.

——P. Virgilii Mar. Poëmata quae exstant omnia, adiectis figuris et doctissimorum virorum scholiis ac annotationibus. *Francofurti ad Moen. apud Ge. Corvinum Feyerabend et her. Wigandi Galli.* 8. — Est repetitio Tigurinae 1561.

1568 *Fabriciana* IV. Opera ex recognitione *Georg. Fabricii. Lipsiae, per heredes Valentini Papae.* 8.

——Opera (cum Opusculis minor.) Pauli Manutii annotationes in margine adscriptae: Homeri loca insignia, quae Virgilius imitatus est: Georgii Fabricii Observatt. Virgilianae lectionis. *Antverpiae, apud Christoph. Plantinum.* 8. — Repetitio ed. 1566.

——Virgilius collatione Scriptorum Graecorum illustratus, opera et industria *Fulvii Ursini. Antverpiae, apud Christoph. Plantinum.* 8. — Est hic libellus Leovardiae 1747. recusus cum nonnullis Valkenari opusculis. Doctrinam facile agnoscas; iudicii subtilitatem in multis, quae comparata sunt, desideres.

1569 Eclogae, cum argumentis sive rhetoricis dispositionibus *Phil. Melanchthonis*, et paraphrasi ac scholiis *Steph. Riccii. Gorlichii, excudebat Abr. Fritsch.* 8.

1570 Virgilii Opera omnia, Culex, Dirae *etc. Londini, apud Henr. Bynnemann.* 8. — Brüggeman A View of the English editions etc. pag. 536.

——*Tigurina* III. *Io. Frisii*, cum scholiis Melanchthonis et aliorum. *Tiguri.* 8. — Vide an. 1564.

——In P. Virgilii Bucolica Commentarii *Mich. Barth. Lipsiae, apud Io. Rhamba.* 8.

1571 *Fabriciana* V. P. Virgili Opera indubitata. Bucol. Georg. Aeneis. Quibus accesserunt et alia quaedam lectioni et studio puerili profutura. Cum brevibus quidem sed non contemnendis annotationibus, et indicatione diversae scripturae de admodum vetusto libro. Emendata omnia multo nunc

etiam quam antea accuratius, studio et industria *Georgii Fabricii* Chemn. *Magdeburgi, per Matthaeum Giseken.* 8. — Adiecta tamen minora carmina cum epist. Georgii Fabricii 1551. Recenset Heyniussub an. 1571. Sed in bibliotheca publica Argentor. exstat eius exemplum, quod praefert annum 1570.

1572 Opera, cum notis *Pauli Manutii* et *Georg. Fabricii. Antverpiae, apud Christoph. Plantinum.* 8. — Ex ed. 1566. repetita.

1572 et 1573 P. Virgilii Appendix, cum supplemento multorum antehac nondum editorum veterum poëtarum. Acc. *Iosephi Scaligeri* in eandem commentarii et castigationes. *Lugduni, per Guil. Rouillium.* 8. — Catalecta Virgilii iam prodierant Vincent. 1479. Venet. 1480. et 1484. Brix. 1485. Ald. 1517. et 1534. hinc ad calcem edd. Iunt. et aliar.

1573 *Tigurina* IV. Operum, cum notis variorum. *Tiguri, apud Christoph. Froschhover.* 8. — Vid. an. 1570.

——— Bucolica, cum versione Germanica *Stephani Riccii. Lipsiae.* 8. — Vid. Verss. Germ. h. a.

1574 Opera, cum commentariis Servii et variorum. *Venetiis.* fol. — Conf. an. 1562.

——— Commentarii docti, breves ac succincti in P. Virgilii Mar. quatuor libros Georgicorum, clarissimi viri et poëtae celeberrimi *Io. Stigelii* studiosae iuventutis gratia in lucem editi, anno Christi 1574. *Mulhusii. Excudebat Georg. Hantsch.* 8. — Inscripsit Christiano Duci Saxoniae, Electoris filio, *Henricus Thylo* Mag. Ecclesiae Smollensis Pastor, qui Stigelii annotationes ab ipso dictatas in Acad. Ienensi exceperat an. 1555. Singulis libris Georgicorum praemittitur Modestini Icti argumentum: post textum sequuntur notae Stigelii.

1575 *Henrico-Petrina* III. *Basileae, ex officina Henricopetrina.* fol. — Repetita post 1551. et 1561.

——— *Plantiniana Valentis.* Virgilius et in eum Commentationes et Paralipomena *Germani Valentis Guellii.* Eiusdem Virgilii Appendix cum *Ios. Scaligeri* commentariis et castigationibus. *Antverpiae, ex officina Christophori Plantini.* fol. — Commentarii Valentis, non infimae notae, novum editionum genus constituunt, at in textu nihil operae posuit.

——*Mich. Barthii* Comment. in Bucolica. *Lipsiae.* 8.

1576 *Aldina* I. c. scholiis *Meyeni*. Bucolica. Georgica. Aeneis P. Virgilii Maronis Mantuani doctiss. virorum annotationibus illustrata opera et industria *Io. a Meyen* Bergizomii Belgae. *Venetiis. MDLXXVI. apud Aldum* (iuniorem.) 8. — Saepius repetita, quia scholarum usibus inserviit; at in criticarum editionum censum non venire potest. Expressa est ex ed. Manut. an. 1558.

——Inclyta Aeneis — in regiam Tragicomoediam, servatis ubique heroicis versibus non minori industria quam labore concinne redacta: a *Io. Lucienburgio* Iuris Candidato. *Francofordiae Moeni.* 4. — In decem actus deductam vides Aeneidem. Quantumvis absurdum hominis consilium oculis tamen subiicere potest, quantopere dramatica narratio regnet in carmine epico; quam multa ex dramatis natura ei insint; et quam facile primi tragici in id incidere debuerint, ut in Iliade plurium tragoediarum argumenta inesse intelligerent. Heyne pag. CCXXII.

1577 P. Virgilii Mar. Opera. *Londini, per Io. Kingston.* 8.

——(s. a.) *Henrici Stephani* I. P. Virgilii Mar. Poëmata (Buc. Georg. Aeneis.) novis scholiis illustrata, quae *Henr. Stephanus* partim domi nata, partim e virorum doctorum libris excerpta dedit. Eiusdem Henr. Stephani Schediasma de dilectu in diversis apud Virgilium lectionibus adhibendo. *Typis Henr. Stephani.* 8. — Scholia in margine sunt adposita, maxime ex Servio. Plura in Maronem meditabatur vir doctus; vid. praef. Multa bona complectitur Schediasma, nec tamen nova.

——Virgilius. *Francofurti, ex officina haeredum Chr. Egenolphi.* 8.

——*Lamb. Hortensi* Montfortii Enarrationes doctissimae atque utilissimae in XII. libros P. Virgilii Mar. Aeneidos. His accedunt *Nascimbaeni Nascimbaenii* in priorem P. Virgilii Epopoeae partem explanatio, et *Christoph. Landini* allegoriae Platonicae in XII. libros Aeneidos. *Basileae, ex officina Henricopetrina,* fol. — Vid. 1559.

——In P. Virgilii Mar. Bucolica Annotationes *H. Eo-*

bani Hessi poëtae. Scholia item *Leon. Kulmanni*, quibus artificium poëticum explicatur. *Coloniae Agripp. ad intersignium Monocerotis.* 8.

1578 P. Virgilii Mar. Poëmata, quae extant, omnia. Adiectis figuris egregie depictis et doctissimorum virorum scholiis ac annotationibus, partim antehac, partim nunc primum publicatis. *Francofurti apud Georg. Corvinum, impensis Io. Feyerabend.* 8. — Sequitur ed. a. 1567.

1580 *Pulmanniana* IV. P. Virgilii Mar. Opera, *Theod. Pulmanni* studio correcta. Pauli Manutii annotationes *etc.* (ut in ed. 1564.) *Antverpiae, ap. Christoph. Plantinum.* 8.

——— *Aldina* II. c. scholiis *Meyeni.* Opera cum scholiis *Io. a Meyen. Venetiis, apud Aldum Pauli fil.* 8. — Vid. an. 1576.

——— Bucolica et Georgica paraphrasi exposita. Auctore *Nicolao Frischlino* Alemanno. *Tubingae, apud Alex. Hockium.* 8. — Quam rationem sequi voluerit in interpretando, expositum ab eo est in Epistola ad Georg. Burckhardum in *Philolog. Epist. Centuria e bibliotheca Goldasti* (Francof. 1600. 8.) p. 279. seq.

1581 *Tigurina* V. Opera, cum scholiis Melanchthonis et alior. *Tiguri.* 8.

——— *Bersmaniana* I. P. Virgilii Mar. Opera, cum notis *Greg. Bersmani. Lipsiae.* 8. c. figg. — Bersmanus scholia in marginem coëgit partim ex vett. annott. partim ex recentib. Ioach. Camerarii, P. Victorii, Adr. Turnebi, Ios. Scaligeri, Germ. Valentis, Henr. Stephani, Ob. Giphanii *etc.* commentationibus et emendatt. partim ex suae doctrinae penu addidit, atque in locorum quorundam difficilium explicatione usus est veteri Ms. cuius copiam ipsi fecerat Lud. Camerarius, Ioach. fil. Post Opera Virgilii edidit is etiam librum XIII. Maphaei, Epigrammata, Culicem ex P. Bembi castigatione, Diras *etc.* Catalecta ex emendatione Ios. Scaligeri. Finem facit Lectionis emendatae ratio ex antiquorum Grammaticorum et librorum observatione, reddita a Georg. Fabricio. Saepius deinceps repetita editio.

——— Opera, cum notis marginalibus. *Lugduni.* 12.

1582 *Erythraei* VI. P. Virgilii Mar. Opera ad *Nic. Erythraei* recensionem. *Venetiis, apud Rampazeti et Sessae heredes.* 8. — Repetita secundum ed. 1565.

——— Opera, cum metaphrasi Gallica Roberti et Antonii *Chevaleriorum. Parisiis.* 4.

——— Bucolica, *Petr. Rami* praelectionibus exposita. Edit. IV. *Francofurti.* 8.

1583 *Henrici Stephani* II. P. Virgilii Mar. Poëmata, novis scholiis illustrata *etc.* Editio secunda. *Typis Henr. Stephani.* 8. — Conf. Maittair. Tom. III. pag. 787. et vid. an. 1577.

——— *Erythraei* VII. emendatior. P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica et Aeneis, *Nic. Erythraei* opera in pristinam lectionem restituta, et ad rationem eius indicis digesta, additis eiusdem Erythraei scholiis, cum duplici epistola *Frid. Sylburgii. Francofurti, apud heredes A. Wecheli.* 8. — Sylburgius in praef. se cum Io. Opsopoeo Erythraei Virgilium cum Indice ab innumeris naevis librariorum seu typographorum negligentia illatis repurgasse ait, quae inprimis edd. Venetas 1565. 1566. 1582. foedaverant. Igitur ad ed. I. 1538. seq. omnia recensuisse videtur. Mirari tamen licet, virum doctum operam Erythraei nugatoriam curis suis dignam habuisse. Index quoque separatim occurrit hoc titulo: *Vocum omnium ac rerum in Virgilio Sylvae, auctore Nic. Erythraeo. Francof.* 8.

——— *Aldinae* h. a. e Ms. Carpensi, ab Heynio laudatae, nulla fit mentio apud Renouardum. Vide vero sub an. 1585.

1584 Georgica, *Petri Rami* praelectionibus illustrata. *Parisiis, apud haeredes Andr. Wecheli.* 8.

1585 *Gryphiana* XVI. P. Virgilii Mar. Opera, cum annotationibus *Pauli Manutii* in margine et *Georg. Fabricii* observationibus Virgilianae lectionis. *Lugduni, apud Ant. Gryphium.* 8. — Biblioth. Emtinck. P. IV. pag. 303. n. 1442.

——— *Aldina* Operum, cum *Pauli Manutii* notationibus, et figuris. *Venetiis, Aldus. MDLXXXV.* 8. — Renouard Annal. Tom. I. pag. 409.

——— Opera. *Venetiis, apud Io. Gryphium.* fol. — Repeti-

tio editionis Ven. apud Scotum 1544. et ap. Bonellum 1558. — Heyne pag. CCXXIV.

——Opera, cum figuris, notis variorum, et praef. Phil. Melanchthonis. *Coloniae.* 8.

——Georgicorum libri IV. cum versione Germanica *Steph. Riccii. Erphordiae.* 8.

1586 *Pulmanniana* V. Operum, ex *Theod. Pulmanni* recensione. *Antverpiae, apud Christoph. Plantinum.* 16. — Est haec ed. ab ipso Plantino inscripta Laevino Torrentino Antv. M. D. XXCVI. Kal. Ianuariis.

——*Henrico-Petrina* IV. Operum cum comment. Tib. Donati et Servii, et cum notis variorum. *Basileae, apud Henricopetri.* fol. — Vid. 1575.

——P. Vergilii Bucolicon, Georgicon et Aeneidos vocum omnium ac sylvae rerum Index (*Nic. Erythraeo* auctore) ab *Ant. Maria Basso*, Cremonensi, ita accommodatus, ut Vergilianis libris cuiuscunque impressionis facile serviat: annotationes praeterea, quae passim in aliorum librorum marginibus adscriptae erant, in hoc ab eodem in unum collectae leguntur. *Venetiis, per Damianum Zenarium.* 8. — Catal. Bibl. Reg. Paris. *Poetes* n. 845.

——Georgicorum post omnes omnium commentationes non contemnenda enarratio — edita studio *Greg. Bersmani* Annaebergensis. *Servestae. Excudebat Bonav. Faber.* 8. — Est ea enarratio poëtae in Academia Lipsiensi publicis lectionibus facta. Bersmanus tum Gymnasio Servestano illustri praeerat, cum hanc ederet partem primam in lib. Georg. I. et II.

1587 *Iunius Philargyrius* in Bucolica et Georgica Virgilii, primum prodiit adiunctus *Fulvii Ursini notis ad Catonem, Varronem et Columellam. Romae.* 8. — Notat in praefat. ipse Ursinus, id quod res docet, non esse integrum Iunii Philargyrii commentarium, sed excerpta tantum quaedam ex eo: quae cum legisset ille inserta fragmento vetustissimo Serviano, (quod olim ipsi literis Longobardicis exaratum dono dederat Paulus Manutius favente Aldo filio) nullius autem interposito auctoris nomine discreta, sed a Servianis expositionibus tantum his notis seiuncta, *Et aliter;* reperit deinde in margine

Codicis Virgiliani exscripta manu Angeli Politiani, et quidem diserte sub Iunii Philargyrii nomine; eodemque nomine ab Angelo in Miscellaneis laudata. Adiunctae pag. 281. eiusdem Ursini Notae ad Servium in Buc. et Georg. iam an. 1543. a Busdrago Lugduni excusae. Diversae sunt notae Ursini in Collat. Graec. scriptor. cum Virgilio 1568. Ex utrisque excerpta inseruit Commentariis suis Burmannus. Heyne pag. CCXXIV. seq.

1588 *Pulmanniana* VI. Operum, ex *Theod. Pulmanni* emendatione. *Antverpiae, apud Christoph. Plantinum.* 8.

——*Bersmaniana* II. Opera, argumentis et scholiis virorum doctissimorum illustrata, cum indicatione diversae scripturae, et alia, omnia congesta et edita studio *Greg. Bersmani. Lipsiae.* 8.

——Aeneidos libri VI. priores, cum *Steph. Riccii* comment. *Vitebergae.* 8.

1589 *Sanctandreana* s. *Commeliniana* I. P. Virgilii Maronis Opera, olim a Pierio Valeriano Mss. ope restituta, nunc denuo vetustissimo cum exemplari collata. Accedunt antiquarum lectionum liber, Fabii Planciadis Fulgentii liber de allegoria Virg. et alia nonnulla. (Iun. Philargyrius. Ursini notae ad Servium. Velius Longus de Orthographia et Cassiodorus de Orthographia.) *In officina Sanctandreana* 8. — Catal. Bibl. Reg. Paris. *Poëtes.* n. 847. Conf. Burmann. in praef. Virg. Masvic. pag. XLIX. Cum *Hieron. Commelinus*, alias *Sanctandreanus* dictus, ab anno 1586. Heidelbergae sedem fixerit, patet hanc editionem Heidelbergae vidisse lucem.

——*Pulmanniana* VII. Opera, a *Theod. Pulmanno* emendata. *Antverpiae ex offic. Plantiniana.* 8.

——Bucolica et Georgica cum paraphrasi *Nicodemi Frischlini. Francofurti.* 8.

——Fabii Planciadis Fulgentii liber de expositione Virgilianae continentiae: Iunii Philargyrii in Bucolica et Georgica Virgilii commentariolus: Fulvii Ursini notae ad Servium in Virgilium: Velius Longus de orthographia, M. Aur. Cassiodori de orthographia liber. *Heidelbergae, apud Commelinum.* 8. — In titulo subiicit, *Ex his Fulgentius nunc primum editus est*, et in praefat. duobus exemplaribus se usum es-

Digitized by Google

se ait, quorum alterum Petrus Veckmanus, alterum F. Modius ex bibliotheca Fuldensi descriptum communicaverat.

———*Nathanaëlis Chytraei* in Virgilium Prolegomena. Et in eiusdem Eclogam primam Collectanea. *Rostochii. Excudebat Steph. Myliander.* 8.

———*Fabii Paulini*, Utinensis, Hebdomades, sive septem de septenario libri, habiti in unius Virgilii versus explicatione: *Obloquitur numeris septem discrimina vocum. Venetiis, apud Franc. Franciscium.* 4.

———*Baldass. Theod. Gorii* Res Virgiliana, h. e. phrases et epitheta. *Gorlicii.* 8.

1590 P. Virgilii Bucolica, *Petri Rami* praelectionibus exposita, quibus poëtae vita praeposita est. Editio quinta. *Francofurti, apud haeredes Andr. Wecheli.* 8.

———Ciris et Elegia ad Val. Messalam. *Parisiis.* 8.

1591 *Fabriciana* V. Operum. *Lipsiae.* 8. — Repetita ex IV. an. 1568.

———Opera omnia (etiam Carmina minora) adiectis figuris egregie depictis et doctissimorum virorum scholiis, annotationibus ac novis argumentis ex variis interpretibus congestis. *Coloniae, apud P. Horst.* 8. — In margine sunt breves annotationes et var. lect. Adiectae annotationes Io. Frisii et ex Doleto in Aeneidem. Videtur Tigurina aliqua expressa esse. Vid. 1561.

———Opera. *Londini, per Franciscum Coldock.* 4.

———Bucolica, serio emendata, cum scholiis *Franc. Sanctii* Brocensis. *Salmanticae, apud Didacum a Cussio.* 8. — Repetita in Sanctii Opp. Tom. II. pag. 151.

———*Nicolai Grimoaldi* viri doctiss. in P. Virgilii Maronis quatuor libros Georgicorum in oratione soluta Paraphrasis elegantissima. Oxonii in aede Christi, anno Sereniss. regis Edouardi sexti secundo confecta. Cum notis *W. Haydock. Londini. Excudebat Georg. Bishop et Radulph. Newbery.* 8. — Elegantissima profecto paraphrasis. De Grimoaldo vid. Wood Athenae Oxon. Vol. I. pag. 178.

1592 *Pulmanniana* VIII. Opera, a *Theod. Pulmanno* emendata. *Lugduni Bat. ex offic. Plantiniana.* 12. vel 8.

———*Gryphiana* XVII. Opera, cum annotationibus *Pauli*

Manutii etc. *Lugduni, apud Ant. Gryphium.* 8. — Vid. 1585. Insunt quoque Carmina minora.

1595 *Pulmanniana* IX. Opera e *Theod. Pulmanni* emendatione. *Lugduni Bat. ex offic. Plantiniana apud Raphelengium.* 8. — Est haec Raphelengii I. quam plures dein secutae.

——— P. Virgilii Mar. Appendix, cum castigationibus et commentariis *Ios. Scaligeri*, curante et edente *Frid. Lindenbruch*, cuius et notae additae. *Lugduni Bat. apud Raphelengium.* 8.

——— Opera, in locos communes digesta. *Duaci.* 8.

1596 *Fabriciana* VI. P. Virgilii Mar. Opera indubitata (*inest tamen Culex et alia*) e recensione *Georg. Fabricii* Chemn. *Lipsiae, impensis V. Voegelini. Imprimebat Mich. Lantzenberger.* 8. — Repetita ex superioribus.

——— *Bersmaniana* III. Operum. *Lipsiae.* 8. — Ex ed. 1581.

——— *Erythraei* VIII. (Sylburgiana II.) *Francofurti, typis Wechel.* 8. — Repetita ex I. an. 1583.

——— *Lamb. Hortensii* Enarrationes in XII. libros P. Virgilii Mar. Aeneidos. *Basileae, ex officina Henricopetrina.* fol. — Repetita ex ed. 1577.

——— *Nascimbaeni Nascimbaenii* Explanationes in Aeneidos libros V. priores. *Basileae.* fol.

1597 P. Virgilii Mar. Opera, cum figg. notis variorum, et praef. Phil. Melanchthonis (suppresso eius nomine.) *Coloniae, per Groswinum Culenium.* 8. — Ex ed. 1585.

——— P. Virgilii Mar. Poëmata, lectionum varietatibus, recentium duorum optimae notae exemplarium fide collectis, locupletata. Quibus ad calcem addita est epithetorum Virgilianorum appendix. Studio et opera *Christ. Egenolphi F. Francofurti, apud Io. Saurium, impensis heredum Petri Fischeri.* 8. — Laudatur Vulpio in Supplem. Fabricianae Notit. lit. qui de ea haec refert: » Leguntur in hac ed. Maphei Vegii Laudensis liber, et omnia Poëmata et Catalecta copiosa Virgilio a diversis tributa: post quae sequuntur Annotationes breves in Bucolica et Georgica, ex variis interpretibus a Io. Frisio Tigurino collectae. Item difficiliorum vocabulorum interpretatio Germanica per eundem: et ex Doleti Comm. de lingua Lat. annotatiunculae succin-

ctae in libros Aeneid. Christoph. Hegendorphini. Librum exornant tabulae non ineleganter ligno incisae. « Est igitur filia Tigurinae. Sed et iam supra laudavimus editionem Francof. Egenolphi an. 1577.

——— Virgilius in locos communes digestus. *Tournon.* 12.

1598 Georgicorum libri IV. enarrationibus, quae commentarii in loco esse possunt, illustrati a *Federico Ceruto* Veronensi. *Veronae, apud Ang. Tamum.* 8.

——— *Rob. Titii* ad Georgica Virgilii Praelectiones quatuor. *Bononiae, per heredes Io. Rossii.* 4.

1599 *Henr. Stephani* III. P. Virgilii Mar. Poëmata *Henr. Stephani* scholiis illustrata. *Excudebat Paullus Stephanus.* (Genevae.) 8. — Secundae an. 1583. per omnia est consimilis.

——— *Commeliniana* II. P. Virgilii Mar. Opera, ex vetustissimo eoque accuratissimo bibliothecae Palatinae Ms. exemplari nitori pristino restituta, cum Indice Erythraei. Addita Fulgentii Planciadis Virgiliana continentia cum aliis nonnullis ad huius poëtae intelligentiam necessariis. *E bibliopolio Commeliniano.* 8. — Curata est haec ed. a Iuda Bonutio, Hier. Commelini sororio, et inscripta Paullo Melisso. Repetita an. 1603.

——— Opera, doctissimorum virorum notationibus illustrata opera *Io. a Meyen. Francofurti, ex officina Io. Saurii.* 8.

——— Symbolarum libri XVII. quibus P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica et Aeneis ex probatissimis auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur per *Iac. Pontanum* S. I. *Augustae Vindel. ex offic. Io. Praetorii.* fol. — Eximius hic habetur Commentarius. In calce voluminis adiuncta est paraphrasis librorum trium priorum et trium posteriorum Aeneidis.

1600 P. Virgilii Mar. Opera et in ea Mauri Servii Honorati Commentarii ex antiquissimis exemplaribus longe meliores et auctiores. Ex bibliotheca *P. Danielis* I. C. Accessit *Fabii Planciadis Fulgentii* liber de continentia Virgiliana auctior e Ms. Cod. Item *Iunii Philargyrii* commentariolus in Bucolica et Georgica Virgilii. *Parisiis, apud Seb. Nivelle.* fol. — Nobilissima editio propter Servii commentarios,

quos sequentes ferè edd. hinc expressere, sed alia aliis vitiosius. Historiam Codd. P. Danielis vide in *Voyage litteraire de deux Benedictins* Tom. I. pag. 65. De Fulgentii libro an. 1589. et de Iun. Philargyrio an. 1587. primum editis vide supra ad h. a.

1601 *Commeliniana* III. P. Virgilii Mar. Opera *etc.* cum Indice Erythraei. *E bibliopolio Commeliniano.* 8. — Omissae in hac ed. Erythraei observationes.

——— Opera, cum notis *Pauli Manutii* et *Georgii Fabricii. Genevae.* 8.

——— Virgilius in locos communes digestus, cum Indice ab *Ant. Maria Basso* ad numerum versuum accommodato. *Coloniae Agripp.* 8.

1602 Operum Cl. V. *Nicodemi Frischlini* Pars paraphrastica, qua continentur P. Virgilii Mar. Bucolica ex Plauto et Terentio, Georgica ex Catone, Varrone, Columella et Plinio, Aeneidos libri duo priores ex Livio, Caesare et Cicerone *etc. Francofurti ad Moen. typis et sumptibus Io. Spiessii et heredum Rom. Beati.* 8. — Idem libellus iam an. 1580. expressus, praeter paraphrasin in lib. I. et II. Aeneidis, quae nunc primum accessit.

1603 *Commeliniana* IV. P. Virgilii Mar. Opera collata ad antiquissimum bibliothecae Palatinae Ms. exemplar, cum Indice Erythraei. *In bibliopolio Commeliniano.* 8. — Repetita ex ed. 1599. quam tamen haud optima fide vulgatam pronuntiat Allatius ad Antiqq. Hetruscas pag. 58. Eandem correctissimo indice ornatam laudat Barthius ad Statium Tom. I. pag. 258.

——— *Erythraei* IX. (Sylburgiana III.) Opera, cum scholiis et indice *Nic. Erythraei. Hanoviae, typis Wechel.* 8.

——— Opera. In Corpore poëtarum Lat. Vol. I. *Genevae, exc. Sam. Crispinus.* 4.

——— *Alberici Gentilis*, I. C. Professoris regii, Lectionis Virgilianae variae liber ad Robertum filium. Nunc primum in lucem editus. *Hanoviae, apud Guil. Antonium.* 8. — Sunt scriptae ad filium octennem, criticae tamen ac philologicae cum multa exspatiatione in ius romanum. Nec tamen ultra Bucolica procedunt.

1604 P. Virgilii Mar. Opera. *Ex officina Plantiniana Raphelengii.* 12.

——Symbolarum libri XVII. quibus Virgilii Bucolica, Georgica et Aeneis ex probatis auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur per *Iac. Pontanum. Lugduni, apud Io. Pillehotte.* fol. — Vide 1599.

1605 *Christoph. Landini* Allegoriarum in Virgilium libri II. *Aureliae Allobr.* 12.

1608 *Commeliniana* V. ex tertia recusa. 8.

——*Erythraei* X. (Sylburgiana IV.) *Hanoviae, typis Wechel.* 8. — Repetitio ed. 1603. Bibl. Emtinck. P. IV. pag. 303.

——*Erythraei* XI. (Sylburgiana V.) *Lugduni.* 8.

——Opera, cum scholiis *Io. a Meyen. Francofurti.* 8.

——Bucolica et Georgica, argumentis, explicationibus et notis illustrata a *Io. Lud. de la Cerda* Toletano. *Madriti.* fol. — Omnis viri docti opera in commentando versatur: lectionis nulla cura: saepe ea interpolata.

——Ciris. In eam Commentariolus *Casp. Barthii. Ambergae, ex typograph. Schoenfeldiano.* 8.

1609 Opera, cum Servii commentariis. *Parisiis.* fol.

——Virgilius, cum notis variorum. *Antverpiae.* 8. — Laudatur Harlesio in Introduct. ad Not. lit. Rom. Part. II. pag. 309.

——Culex, cum comment. *Frid. Taubmanni. Vitebergae.* 8.

1610 Opera, cum Servio *P. Danielis. Coloniae Allobrog.* 4. — Ex editione 1600.

——Opera, cum figg. lectionum varietatibus, et doctissimorum virorum scholiis ex variis interpretibus congestis, in gratiam studiosae iuventutis denuo edita. *Impensis et typis Friderici Hartmanni bibliopolae Francofurti ad Oderam.* 8. — Praemittitur huic editioni praefatio Phil. Melanchthonis. Praeter illius scholia marginalia habet post Opuscula Virgilii annotationes breves in Bucolica et Georgica, e variis interpretibus a Io. Frisio Tigurino collectas. Item difficiliorum vocabulorum interpretationem Germanicam per eundem. Tum ex Doleti Comm. de L. L. annotatiunculas in libros Aeneidis Christophori Hegendorphini. Imitata est igitur edd. Tigurinas Io. Frisii.

——P. Virgilii Mar. Poëmata, cum libro suppl. Maphaei Vegii, Epigrammata *etc.* cum annotationibus

brevibus ex variis interpretibus collectis, et difficilium vocabulorum interpretatione Germanica opera *Io. Frisii* Tigurini. *Francofurti, apud Nic. Hofmann.* 8. — Est repetitio ed. Francof. 1567.

——*Melch. Laubani* archetyporum analyticorum ad integram P. Virgilii Mar. Aeneidem libri VII. *Lignicii Siles.* 4. — Biblioth. Emtick. P. IV. pag. 122.

——Thesaurus P. Virgilii, in communes locos iampridem digestus a *Mich. Coysardo* S. I. nunc ab eodem recognitus et indice locupletatus. *Lugduni, apud Io. Pillehotte.* 12.

1611 P. Virgilii Mar. Opera recusa in Corpore veterum Poëtarum Lat. *Aureliae Allobr. apud Sam. Crispinum.* 4. Vol. I. pag. 600-748. — Vid. an. 1603.

1612 *Io. Lud. de la Cerda* Commentarii in VI. priores libros Aeneidis. *Madriti.* fol. — Conf. 1608. De Operum Virgilii editione Lugdunensi cum comment. Cerdae vid. an. 1617.

——Compendium Operum Virgilianorum, tam oculis, quam manibus omnium expositum, aere ac studio *Crisp. Passaei* chalcographi, Latine et Gallice. *Ultrai. Bat. apud Herm. Borculoi.* 4.

1613 *Henrico-Petrina* V. Opera quae extant omnia, cum commentariis Tib. Donati et Servii Honorati, collectis et emendatis a Georg. Fabricio. Accedunt Probi Grammatici, Pomp. Sabini, Phil. Beroaldi, Io. Hartungi, Iod. Willichii, Georg. Fabricii, Bonfinis, Lud. Vivis, A. Barlandi et aliorum annotationes, omnia emendata et edita castigatius studio *Lud. Lucii,* Basil. Acad. Prof. *Basileae. per Seb. Henricpetri.* fol. — Servii recensio in hac ed. admodum probatur Burmanno praef. ad Virgil. Est tamen totus liber expressus ex ed. 1551. Fabricii notae ab iis, quae in reliquis edd. sunt excusae, diversae esse feruntur: sunt scilicet pleniores. Conf. I. D. Schreberum in Vita Ge. Fabricii pag. 210. seqq.

——*Erythraei* XII. Opera, cum *Nic. Erythraei* scholiis et indice, castigata per Io. Obsopoeum et Frid. Sylburgium. *Francofurti.* 8.

——Selecta quaedam veterum poëtarum Opera (*in his*

Eclogae Virgilii) cum scholiis *Franc. Sanctii. Salmanticae.* 8.

1614 P. Virgilii Mar. Opera, novis annotationibus, e virorum doctissimorum libris excerptis, illustrata, additis Homeri locis insignioribus, quae Virgilius imitatus est, cum rerum et verborum Indice locupletissimo. *Coloniae Allobr. apud Petrum de la Rouiere.* 8.

——— Introductiones oeconomicae simul et politicae — sive Virgilii Bucolica et Georgica paraphrasi perpetua illustrata a *Nicod. Frischlino. Francofurti ad Moen. per Is. Porsium.* 8. — Vid. an. 1602.

1616 *Bersmaniana* IV. Operum. *Lipsiae.* 8.

——— Opera, studio *Theod. Pulmanni* correcta. *Parisiis, apud Sanlecque.* 12.

——— Opera, cum scholiis *Io. a Meyen. Francofurti, apud Nic. Hofmannum.* 8.

——— Opera repurgata ab *Alex. Ficheto* S. I. In Corpore poëtarum Latinorum. *Lugduni.* 4.

1617 Opera, cum notis *Pauli Manutii* et *Georg. Fabricii. Londini.* 8.

——— Catalecta Virgilii et aliorum Poëtarum Latinorum veterum Poëmatia, cum comment. *Iosephi Scaligeri* (notisque *Friderici Lindenbruchi.*) *Lugduni Bat. apud Raphelengium.* 8. — Recusus titulus ed. 1595.

——— *Io. Lud. de la Cerda* Commentarii in sex posteriores Aeneidis libros. *Madriti.* fol. — Vid. 1612.

——— Bucolica, Georgica et Aeneis, argumentis, explicationibus, notis illustrata, auctore *Io. Lud. de la Cerda* Toledano, S. I. *Lugduni, sumptibus Horatii Cardon.* fol. 3 voll. quorum primum lucem vidit an. 1619. secundum 1612. tertium 1617. Conf. Crevenna Tom. III. pag. 194.

1618 Opera omnia: Bucolica, Georgica, Aeneis, Ciris et Culex; cum commentario *Frid. Taubmanni*, curante et edente *Christiano Taubmanno*, Frid. fil. *Wittebergae, apud Zach. Schurer.* 4. — *Editio Henr. Stephani semper fere pro regula fuit*, sub finem praefat. *Ciris textum ex Scaligeri, Barthii, et parentis lectionibus restitui. Culicem duorum exemplarium* (noli de Mss. cogitare) *a parente emendatorum auxilio correctiorem reddidi.* Commentarii diligentissime scripti

et ad intelligendum poëtam utilissimi; quibus contentus sit, qui maioribus Cerdae, Valentis, edd. Henrico-Petrinis et Danielis cett. destituitur.

1619 *Pulmanniana* X. Opera, studio *Theod. Pulmanni* correcta. *Amstelodami.* 24.

——— P. Virgilii Mar. Culex. Apum respublica. Anseris encomium. Disticha de speculo. Vitae rusticae encomium. Laudes hortuli. Exstant apud *Dornavium* Amphith. Sapientiae Socrat. iocoseriae. *Hanoviae.* fol.

——— Symbolarum libri XVII. quibus Virgilii Mar. Bucolica, Georgica, Aeneis ex probatissimis auctoribus declarantur, comparantur, et illustrantur per *Iac. Pontanum. Lugduni.* fol.

1620 P. Virgilii Mar. Opera, cum Servio *Danielis. Genevae.* 4. — Ex ipsa Danielis ed. 1600. vitiosissime exscripta. Cf. P. Burmannum ad Eclogam VIII. 92.

1621 *Tarqu. Gallutii Sabini* e S. I. Virgilianae Vindicationes, et Commentarii tres de Tragoedia, Comoedia, Elegia. *Romae, per Alex. Zanettum.* 4. — Inest acumen haud contemnendum in locis Virgilianis seu vindicandis seu reprehendendis; etsi iudicii subtilitatem et sensus elegantiam in iis subinde desideres.

1622 *Elzeviriana* I. P. Virgilii Mar. Opera e doctorum virorum castigatione: accedit animadversionum liber. *Lugduni Bat. ex officina Elzeviriana.* 12.

1623 Opera, cum *Phil. Melanchthonis* et aliorum scholiis. *Wittebergae.* 8. c. figg.

——— *Pauli Benii Eugubini* in P. Virgilii Mar. Aeneidem Commentarii, quibus authoris sententia explanatur et illustratur passim, heroici poëmatis condendi ratio, legibus ac documentis ex ordine promulgatis, ostenditur. Aeneis cum Odyssea et Iliade comparatur; simulque demonstratur, quantopere Homerum Virgilius superaverit: quibus accessit Platonis Poëtica. *Venetiis, apud Io. Guerilium.* fol. — Operosi sunt hi Commentarii, sed parum subtiles.

1624 *Bersmaniana* VI. Operum. *Lipsiae.* 8. cum figuris. — Est nobis ad manus exemplar, quod titulo caret, sed dubio procul illa ipsa est. Legitur enim in ultima pagina: *Goslariae Iohannes Vogthius excudebat; impensis haeredum Henningi Grossii senioris, bibliopolae*

Lipsiensis. Anno MDCXXIII. Praemittuntur Greg. Bersmani Epist. dedicatoria ad Io. Cas. et Io. Ern. fratres, Duces Sax. scripta Lipsiae d. VII. Kal. Apr. 1581. dein Virgilii vita per Donatum; tum Georg. Fabricii Chemn. ad Mart. Pisonem avunculum de excellentia poëtarum apud Latinos carmen, et Io. Ioviani Pontani de Virgilii natalibus *etc.* Fr. Modii ad Greg. Bersm. de editis ab eo Virgilii et Ovidii Opp. Aeneidi subiungitur Maphei Vegii lib. XIII. Sequuntur novis paginis incipientibus Epigrammata vett. Culex ex Bembi castig. Dirae, Aetna, Ciris, Moretum, Copa, Catalecta ex em. Ios. Scaligeri. Lectionis emendatae ratio ex antiq. Grammatt. et librorum observatione, reddita a Georg. Fabricio; quae volumini finem facit.

1625 P. Virgilii Mar. poëtarum Latinorum principis Opera indubitata omnia. Ad doctiss. R. P. *Iacobi Pontani* castigationes accuratissime excusa cum indice eiusdem locupletissimo. Reliquis quae Maronis nomine circumferuntur opusculis seorsim impressis. *In florentissima Agrippinensium Colonia, sumtibus Bernhardi Gualteri, anno sal. humanae MDCXXV.* In fine: *Excudebat Henricus Krafft sumptibus Bernhardi Gualteri MDCXXV.* — Typographus in praefat. se ad normam Operis symbolici Iac. Pontani, in gratiam philomusae iuventutis, grandiori charactere notatis sententiis, eiusdemque Indice copiosissimo, Virgilii monumenta indubitata recudere voluisse profitetur.

——— Opera, studio *Th. Pulmanni* correcta. *Amstelodami.* 8.

——— Opera, studio *Theod. Pulmanni* correcta. *Sedani, typis Io. Ianoni.* 32. — Editio literarum formis minoribus nobilis, quae ab ea nomen Sedanensium accepere. Conf. Burii Bibliogr. instruct. n. 2683. et Crevenna Tom. III. pag. 194.

1627 Opera. In Corpore Poëtarum Latinorum edit. III. *Genevae.* 4.

1628 Bucolica, Georgica et Aeneis, argumentis, explicationibus, notis illustrata, auctore *Io. Lud. de la Cerda. Coloniae Agripp.* fol. 3 voll.

——— Aeneae peregrinationes, h. e. libri sex priores Aeneidos analysi simplicissima enodati a *Melch. Steinbruck. Coburgi, apud Io. Forckelium.* 16.

1629 P. Virgilii Mar. Opera, cum scholiis *Io. a Meyen. Francofurti.* 8. — Recusa ex Francof. 1616. Memoratur quoque Coloniensis huius anni, forte ex 1591. ducta.

1630 Opera, clarissimorum virorum annotationibus illustrata: opera *Io. a Meyen. Parisiis, apud Io. Libert.* 8. — Ex Ven. 1580.

——— Opera. In gratiam iuventutis poëtices studiosae. *Hispali, apud Franciscum de Lyra.* 12.

——— Opera, ex rec. PP. S. I. *Antverpiae.* 8. et 12.

1632 Opera. *Genevae.* 12.

——— Aeneis, cum comm. *Nic. Abrami. Mussiponti.* 8.

1633 Opera. *Antverpiae.* 8.

——— Aeneis, cum comment. *Nic. Abrami. Rothomagi.* 8.

1634 *Farnabii* I. Opera, notis marginalibus illustrata a *Thom. Farnabio. Londini, ap. Fel. Kingston.* 8.

——— Opera, studio *Theod. Pulmanni* correcta. *Amsterodami, apud Iansson.* 12.

1635 Bucolica et Georgica, cum comment. *Nic. Abrami. Mussiponti.* 8.

1636 Opera, cum commentariis Servii, P. Danielis *etc. Genevae, apud Petr. et Iac. Chouet.* 4. — Expressa secundum ed. Danielis an. 1600. aut priores Genevenses 1610. et 1620. vitiosa quidem, sed et bona habet ob varias lectt. in libr. I. et II. Aeneidis, e collatione Msti Fuldensis cum Mss. Danielis, et Pl. Fulgentii expositionem Virgilianae continentiae duorum scriptorum Codd. viri literas amantis collatione emendatiorem. Corrector autem ad Indicem copiosum, utilem et bonum, quin optimum, (iudice Th. Crenio s. Crusio Animadv. philol. P. IV. pag. 1. 3.) in Servii Comm. haud curate satis, quod ad numeros paginarum attinet, advigilavit; et ipsum opus mendose excusum fertur.

AETAS IV. *HEINSIANA* I.

1636 — 1717.

A duumvIris, patre *Daniele* et filio *Nicolao*, HEINSIIS, quorum ille in edendo Virgilii textu huic proludens per XXVIII. annos, etiam in Schrevelianis obtinuit; principatum relicturus *Nicolao* filio, qui poëtis Ro-

manis sospitator accessisse celebratur, per XXX. fere annos in recensendo Virgilii textu versatus, prima recensione ab an. 1664. tertia eaque peracta ex Codd. antiquissimis et veteribus Grammaticis, quamvis ipse suas in Maronem Obss. non publicasset, relictas posterae aetati, praeivit omnibus, etiam *Iac. Emmenessio, Laughtonum* Tonsonianae curatorem reperienti asseclam, et *Car. Ruaeo* S. I. in ed. II. 1682. in usum Delphini saepius dein repetita. Heinsianae III. novas curas, sed leviores, attulit *Petrus Burmannus* an. 1704. Praeter hos *Tanaq. Faber, Ioan. Henricus Boeclerus, Mich. Maittairius*, et *Franc. Catroeus* nonnihil attulerunt. De Servio post *Corn. Schrevelium*, Commelinianae curatorem, *Iac. Emmenessius* bene mereri studuit. Post *Io. Farnabium*, interpretem huic maxime aetati familiarem, qui etiam in Hackianis Schrevelii regnat, et *Nic. Abramum*, itemque *Iuvencium* invenit socios, surrexit alter Deus minorum gentium *Io. Minellius*, ab an. 1674. recturus adolescentum studia; ad cuius modum *Christ. Iunckerus*, infeliciter Virgilium explicare aggressus.

1636 *Dan. Heinsii* I. P. Virgilii Mar. Opera, *Dan. Heinsio* recensente nunc emendatiora. *Lugduni Bat. ex officina Elzeviriana.* 12. — Cum rara sit haec editio, eiusque faciem plures aliae mentiantur subdititiae; ad pagg. 1. et 91. respiciendum esse, ubi paucae literae characteribus miniatis expressae esse debent, non atris, de Bure Bibliogr. instruct. n. 2684. docet. Interioris indolis bona habet nulla. Conf. Heynium pag. CCXXXIII. Ad calcem adiunctus animadversionum libellus e doctor. viror. observationibus, iam in edd. Fabric. obvius.

1637 Opera, studio *Theod. Pulmanni* correcta. *Amstelodami, ex officina Blaviana.* 16.

——— Opera, cum commentario *Nic. Abrami. Rothomagi.* 8.

1641 Opera. *Parisiis, e typographia Regia.* fol. — Splendidum volumen: unum ex quatuor poëtis Latinis excusis prelo Luparensi. Reliqui sunt Terentius, Horatius, Iuvenalis et Persius.

——— *Dan. Heinsii* II. Virgilius, e recensione *Dan. Hein-*

sii. Lugduni Bat. ex offic. Elzevir. 16. — Repetitio ed. 1636.

1642 Bucolica, Georgica et Aeneis, cum comment. *Io. Lud. de la Cerda. Coloniae Agripp.* 1642. et 1647. fol. 3 voll. — Recusa ex ed. 1628.

——— *Farnabii* II. Opera, cum scholiis *Thom. Farnabii. Lugduni Bat.* 12. itemque *Amst. ex offic. Ianssoniana.*

——— Copa, cum commentariolo *Io. Weitzii*, et Spicilegio in Moretum Septimii Sereni. *Francofurti, apud haeredes Clem. Schleichii.* 8.

1644 Opera, cum commentario *Nic. Abrami. Tolosae.* 8.

1646 *Commeliniana Corn. Schrevelii.* P. Virgilius cum veterum omnium commentariis et selectis recentiorum notis. Nova editio, inscripta Georgio Valkenier. (Amstel.) *Ex officina Abrah. Commelini.* 4. — Servius ex exemplari editionis P. Danielis 1600. a Cl. Salmasio multis locis emendato, expressus. Usus etiam est Commelinus exemplari Nic. Heinsii, qui varias e Mss. lectiones annotarat. Notas virorum doctorum excerpsit Corn. Schrevelius. Conf. praefat. Post meliores Heinsii editiones huius quidem non magnus usus est.

1648 Opera, cum commentario *Nic. Abrami. Rothomagi.* 8. — Secundum ed. 1637.

——— Aeneis, cum versione Gallica. *Parisiis.* 4. 2 voll. quorum posterius lucem vidit an. 1658. Vid. Verss.

1649 *Dan. Heinsii* III. P. Virgilii Mar. Opera nunc emendatiora. *Amstelodami, apud Lud. Elzevirium.* 16.

1650 *Farnabii* III. Opera, cum notis *Thom. Farnabii. Amstelodami, apud Io. Ianssonium.* 12.

1652 *Dan. Heinsii* IV. Operum. *Amstel. ap. Elzevir.* 12.

——— *Schreveliana* I. Opera, cum notis Farnabii integris, et selectis variorum, opera ac studio *Corn. Schrevelii. Lugduni Bat. ex officina Hackiana.* 8. — Curata haec ad exemplum reliquarum in Batavis cum notis var. exaratarum; sine iudicio, delectu et diligentia. Notae adscriptae non quas res postulabat, sed quae calamo se offerebant.

1653 Aeneidos liber primus. *Parisiis, apud Seb. et Gabr. Cramoisy.* 4.

——— Aeneidos liber duodecimus. *Parisiis*, apud eosdem. 4. — Maittair. Annal. Ind. pag. 329.

1654 Opera, cum comment. *Fabrini*, *Malatestae* et *Venuti*, Italica lingua scriptis. *Venetiis.* fol. — Conf. Bibl. Bunav. Tom. I. pag. 301.

1657 *Schreveliana* II. Operum, cum notis selectissimis variorum. *Lugduni Bat. apud Franc. Hackium.* 8. — Vid. 1652.

——— Clavis anterioris Aeneidos, itinera Aeneae notis et tabulis reserans, opera *M. Ios. Seizii. Halae Suevor. per Io. Reinhard.* 1657. 4. *Subiicitur:* Analysis libri secundi Aeneidis — Troiam delineans. Analysis libri tertii, Didoni — ortam — αυτοχειριαν — libri quinti Ludos Aeneae *etc. Tum tandem:* Centrum — Virgilianae Aeneidos, sive Analysis libri sexti, descensum Aeneae ad inferos — delineans. *Halae.* 1656. 4. — Inesse possunt in ineptis his subtilitatibus grammaticis et rhetoricis nonnulla, quae ingenium forte acuant, si quis otio abunder.

1658 P. Virgilii Mar. Opera, per *Io. Ogilvium* edita, et sculpturis aeneis adornata. *Londini, typis Thom. Roycrofft.* fol. mai. cum 120. tabb. et cum charta geogr. — Volumen magna impensa, et quantum illa aetas ferebat, non sine arte, curatum. Delineandis et incidendis figuris operam dedere clari artifices W. Hollar, W. Faithhorne, P. Lombard, et alii. Repetita ed. 1663.

1659 Opera, cum scholiis *Io. a Meyen. Francofurti.* 8. — Ex edd. Francof. 1616. et 1629.

1661 *Schreveliana* III. Operum, cum notis selectissimis variorum. *Lugduni Bat. ex offic. Hackiana.* 8. — Repetita ex ed. 1657.

1662 Opera, cum versione Gallica et adnotationibus *Mich. de Marolles. Parisiis.* 8. 3 voll.

——— R. P. *Sebastiani de Matienzo*, Burgensis, Soc. Iesu, Commentationes selectae ethicae et politicae in P. Virgilii Mar. Aeneidem. *Lugduni, sumpt. Horatii Boissat et Georg. Remens.* 4. — Sunt argutationes fere ad Donati exemplum effusae, deteriores tamen venae.

1663 Opera, per *Io. Ogilvium* edita, et sculpturis aeneis adornata. *Londini, typis Thom. Roycroft, prostant apud Guil. Wells et Rob. Scott.* fol. chart. reg. — Vid. an. 1658.

1664 *Nic. Heinsii* I. P. Virgilius Maro, accurante *Nic.*

Digitized by Google

Heinsio. Lugduni Bat. ex offic. Elzeviriana. 12. — Nobilis editio, e qua melior demum Virgilio lux affulsit. Conf. an. 1676.

——— Opera, cum scholiis *Io. a Meyen. Francofurti.* 8. — Recusa post ed. 1659.

1666 *Schreveliana* IV. Operum, cum notis selectissimis variorum. *Lugduni Bat. ex offic. Hackiana.* 8.

——— Opera. *Basileae.* 12.

1668 Opera. *Maceratae.* 8.

1669 *Farnabii* IV. iuncta *Abrami* notis. P. Virgilii Mar. Opera, cum notis *Nic. Abrami* et *Thom. Farnabii. Parisiis, apud Io. Henault.* 12.

1671 *Nic. Heinsii* II. P. Virgilius Maro, accurante *Nic. Heinsio. Lugduni Bat. ex offic. Hackiana.* 16. — Vid. 1664. Accessere in hac ed. Culex et Ceiris.

1674 *Minellii* I. Opera, cum annotationibus *Io. Minellii. Roterodami.* 8.

1675 Opera, editio novissima, summa cura recognita et multis mendis purgata. Adiectae sunt *Tanaq. Fabri* et nonnullorum aliorum notulae et emendationes. *Salmuri, apud Is. et H. Desbordes.* 12. — Adiectae sunt notulae ex eius adversariis collectae; tum Animadversionum libellus, qui et in Fabricianis edd. occurrit.

——— *Ruaei* I. P. Virgilii Mar. Opera, interpretatione et notis illustravit *Carolus Ruaeus* S. I. in usum Delphini. *Parisiis, apud Sim. Benard.* 4. — Est ea inter meliores edd. auctorum Latinorum in usum Delphini referenda, ideoque saepissime repetita in Gallia non solum, sed et in Anglia, Belgio et Italia. Praemisit is vitam s. historiam Virgilii per Consules pulchre satis scriptam. Superavit tamen mox hanc I. editio altera an. 1682. ob textum Nic. Heinsii ab Ruaeo receptum.

——— *Minellii* II. *Roterodami.* 12.

1676 *Nic. Heinsii* III. eaque ob novas curas *princeps:* P. Virgilii Mar. Opera. *Nic. Heinsius,* Dan. Fil. e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. *Amstelodami, ex offic. Elzeviriana.* 8. et 12. — Ex Codicibus vero paene XXX. quos post Burmannum describit ill. Heynius in Elencho Codicum Virgilii Tom. I. pag. CXLI. seqq. novissimae editionis, Vir-

gilium emendavit Heinsius: consuluit praeterea etiam Grammaticae rei veteres auctores Latinos: laudatque in Ep. praemissa ad Lectorem ex Codd. maxime praestantissimum illum, unumque instar omnium, qui parem vetustate nullum per Europam universam nunc habet, servatum a multo tempore in Laurentiana Florentiae bibliotheca — quod ipsum exemplar usibus Aldi Manutii inservivit olim, cuius in orthographico opere laudatur passim possessorem liber tunc nactus Ludovicum Cardinalem Carpensem, a quo postea ad Achillem Statium devenit. (Heinsius errat. Verum nomen possessoris fuit Rudolphus Pius, Card. Carpensis, sub Paullo III. P. M. qui eum Achilli Statio evolvendum permisisse videtur, ac dein bibliothecae Vaticanae legavit, ex qua is tandem casu aliquo in Mediceam pervenit.) Quod reliquum est, ipsum Heinsium de orthographica ratione, quam secutus, quaedam in eadem Ep. disserentem, (quae contra novellos antiquitatis nescio cuius simulatores, in minutiis vim Latii ponentes, repetita sint) audiamus: »Orthographicam scribendi rationem hanc in plerisque, non enim in omnibus, secuti sumus, quam castigatiores libri praeferebant. Obsolevit ferme apud nos, quod in usu tamen priscis Romanis frequentissimo fuit, si quid vetustioribus membranis est credendum, ut declinationis tertiae nominum, quae casum pluralem in *ium* terminant, quartus casus iisdem in *is* non in *es* terminetur. *Urbs, urbes, urbium, urbis. Gens, gentes, gentium, gentis. Omnis, omnes, omnium, omnis.* Hinc initium Sallustianum: *Omnis homines summa ope eniti decet.* Atque hac de re cum Priscianus, tum alii ex antiquis Grammaticis, in primis Aulus Gellius, ubertim egerunt: qui disputat operose, cur Maro nunc *tris*, nunc *tres* dixerit. Nam quod *treis* et *omneis* et *urbeis* et *queis*, aliaque id genus non pauca, passim in vulgatis edd. occurrunt, ea Pacuviano Ennianoque digna tempore, non Virgiliano censeamus licet. Habet enim in deliciis Maro archaismos ac veteres loquendi modos, sed sobrie id ac parce, ut mira est huic poëtae ca-

stigatissimi iudicii vis in omnibus. Eam certe scribendi rationem illo vivente obtinuisse, ut *omnis*, et *urbis* dicerent, non *urbeis* aut *omneis*, in quarto casu plurali, ex ipsis Caesaris Augusti nummis liquido apparet, in quorum non paucis, apud me exstantibus, civica exhibetur corona cum hac inscriptione, OB CIVIS SERVATOS. Exstant et eiusdem Augusti Caesaris numismata, quorum ab altera parte Divi Iulii imago est expressa, additis hisce literis DIVOS IULIUS, non DIVUS. Hinc toties apud Maronem in praestantissimis libris *Volcanus*, *Volsci*, *volnus*, *volgus*, *aevom*, *equom*, *divom*, et similia. Quomodo et in pervetustis Varronis, Plauti, Terentii, Lucretii exemplaribus scriptum reperias passim. — *Ulixes* est in iisdem exemplis constanter admodum, quem nunc *Ulyssem* scribimus perperam ac malo exemplo, uti certius animadversa ad Maronem nostra evincent. «

1677 *Farnabii* V. *Amstelodami.* 12. c. figg.

1680 P. Virgilii Mar. Opera in tres Tomos divisa, cum notis integris Servii, Philargyrii, nec non Io. Pierii variis lectionibus, et selectissimis plerisque commentariis Donati, Probi, Nannii, Sabini, Germani, Cerdae, Taubmanni et aliorum: quibus accedunt observationes *Iacobi Emmenessii*, cum indice Erythraei. *Lugduni Bat. apud Ioan. Hackium.* 8. 3 voll. c. figg. — Textum sequitur ed. Heinsianae 1676. Servii notae ex Genevensi ed. 1636. expressae: quae quamvis mendosior illa Danielis 1600. sua tamen habet bona, quibus Danielis editio caret. Observationes Erythraei indici insertas quod post Ant. Mar. Bassam et Commelianam an. 1601. omisit Emmenessius, in eo improbatur. Emmenessius cum in opere immortuus esset an. 1679. absolvit operam *Pancratius Masvicius.* Magnae olim fuit auctoritatis editio, antequam Masvicius ipse novam et Burmannus suam edidissent.

1681 *Minellii* III. *Roterodami, apud viduam Arn. Leers.* 12.

1682 *Ruaei* II. in usum Delphini, ob receptum Nic. Heinsii textum ex ed. 1676. praestantior. *Parisiis.* 4.

——P. Virgilii Mar. Opera. *Londini.* 12. — Catal. libr. Musei Britann. Vol. II. voc. *Virgilius.*

——*Nic. Abrami* Commentarius in P. Virgilii Mar. Opera omnia. *Rothomagi.* 8.

1683 *Farnabii* VI. *Lipsiae.* 12.

——Thesaurus P. Virgilii Mar. in communes locos digestus a *Mich. Coyssardo* S. I. nunc demum emendatior prodit, opera unius ex eadem societate. *Parisiis, apud Cl. Thiboust.* 12.

1684 *Nic. Heinsii* IV. P. Virgilii Mar. Opera. *Nic. Heinsius*, Dan. F. e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. *Lugduni Bat. typis Iac. Hackii.* 12. — Est ex edd. Heinsii perfectioris operae.

——Bucolica et Georgica, post optimas editiones nunc primum emendata, notisque ac scholiis selectis variorum illustrata. *Londini.* 8.

1685 *Nic. Heinsii* V. P. Virgilii Mar. Opera. *Nic. Heinsius*, Dan. F. e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. *Amstelodami, ex officina Wetsteniana.* 12.

——*Farnabii* VII. *Amstelodami.* 12.

1686 *Ruaei* III. P. Virgilii Mar. Opera, interpretatione et notis illustravit *Car. Ruaeus*, iussu Christianissimi Regis ad usum Ser. Delphini, iuxta editionem Parisiensem. *Londini.* 8.

1688 *Nic. Heinsii* VI. *Amstelodami, ex offic. Elzeviriana.* 12.

——Aeneis, c. versione Germ. *Io. a Zehmen. Lipsiae.* 12.

1690 *Ruaei.* IV. *Amstelodami.* 4.

1692 *Ruaei* V. *Amstelodami.* 4.

1695 *Nic. Heinsii* VII. ex editione Elzeviriana recusa. *Londini.* 8.

——*Ruaei* VI. recusa iuxta editionem Amst. 1692. *Londini.* 4.

1696 *Ruaei* VII. *Parisiis.* 8. 3 voll.

——*Ruaei* VIII. *Londini.* 8. — Biblioth. Panzeri P. I. pag. 275. n. 2363.

1697 *Minellii* IV. *Roterodami.* 12.

——Virgilii Opera ab ipso primum edita, scil. Epigrammata, Poëmatia, Fragmenta — cum comment. et observ. cumque paraphrasi Italico metro concinnata ab *Octavio Scarlatino. Bononiae. P. Maria de Montibus.* fol.

1698 Virgilii Opera. *Io. Henr. Boeclerus* quondam ex insigni Ms. bibliothecae Argentoratensis recensuit,

et annotationes tam philologicas, quam philosophicas et politicas, in quibus Servii commentarius praecipue illustratur, eleganter suppeditavit. *Ulmae, apud Wolfg. Beuerlin.* 8. — Textus vivo Boeclero fuerat expressus, sed triginta demum ann. post illius mortem opus absolvit alius, qui addidit adnotationes in Aeneida nec paris pretii, nec admodum multas, ex ore quondam praeceptoris sui, Boecleri, exceptas, in quibus variae Codicis Argentoratensis lectiones adferuntur, crisi interdum adhibita, et ratione Servii, vel potius farraginis plurimorum Grammaticorum (nam Boeclerus ait pag. 52. se inspexisse XIII. exemplaria Mss. quorum nullum cum altero consentiat) crebro habita. Notae in Bucolica et Georgica admodum ieiunae, et ex Servio, P. Ramo et Frid. Ceruto misere compilatae, alium habent auctorem. Adhaerent quoque Culex, Ciris, Catalecta, et variorum poëtarum in Virgilii opera et vitam praeconia, ex recensione Scaligeri.

——— *Minellii* V. *Hafniae.* 8.

——— Supplementum ad Aeneida, seu Aeneidos liber XIII. authore *C. S. Villanova. Parisiis, per Aubonyn.* 8. vel 12.

1700 *Minellii* VI. *Lipsiae.* 8.

——— *Minellii* VII. *Herbornae.* 8.

1701 P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica et Aeneis, ad optimorum exemplarium fidem recensita per *Henr. Laughton*, Bibl. Cantabr. praefectum. *Cantabrigiae, typis academicis, impensis Iac. Tonson.* 4 mai. — Fere ad solam Emmenessianam exacta. Laughtonus Dissertationem criticam praemisit. Recusa an. 1702. 1707. et 1711.

——— *Farnabii* VIII. *Patavii.* 12.

1702 Bucolica, Georgica et Aeneis, ad optimorum exemplarium fidem recensita per *Henr. Laughton. Cantabrigiae.* 8. — Repetitio ed. 1701.

——— *Farnabii* IX. *Lipsiae.* 12.

1703 *Minellii* VIII. *Londini.* 8.

——— *Minellii* IX. *Rotomagi, apud Iac. Ios. le Boullenger.* 12.

——— Opera, cum notis *Christ. Iunckeri* ad modum Minellii. *Lipsiae.* 8.

1704 *Nic. Heinsii* VIII. *Petr. Burmanni* I. P. Virgilii Mar. Opera. *Nic. Heinsius* e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. *Ultraiecti, apud Guil. van de Water.* 12. — Ex Heinsiana an. 1676. religiose expressa, curante P. Burmanno, nisi quod lectionum nonnullarum, quas e Cod. Mediceo Norisius in Cenotaphio Pis. adnotaverat ab Heinsio praetermissas, ratio habita est, observante Heynio.

——*Minellii* X. *Roterodami.* 12.

1706 P. Virgilii Mar. Opera, ad meliorum Codicum fidem emendata, cum argumentis lucidissimis. *Vindocini* (Vendome) *apud Henr. Hyp.* 12.

1707 *Ruaei* IX. *Londini.* 8.

——Bucolica, Georgica et Aeneis, ad optimorum exemplarium fidem recensita per *Henr. Laughton. Cantabrigiae.* 8.

——P. Virgilius Maro singulari studio emendatus. *Parisiis, apud Musierium.* 12.

1708 *Minellii* XI. *Francofurti.* 8. item *Lipsiae.* 8.

——*Minellii* XII. *Amstelodami.* 12.

1709 Novus apparatus Virgilii poëticus, descriptiones, comparationes, et sententias exquisitissimas ex variis poëtis complectens, cura R. P. *Laur. le Brun. Coloniae.* 8.

1711 *Farnabii* X. *Lipsiae.* 12.

——P. Virgilii Mar. Opera, cum notis selectis Abrami, Farnabii, Iuvencii et aliorum, et omnium verborum indice. *Rothomagi, apud Lallemantium.* 12.

——Opera, cum notis *Christ. Iunckeri* ad modum Minellii. *Lipsiae.* 12. — Ex ed. 1703.

——Bucolica, Georgica et Aeneis, ad optimorum exemplarium fidem recensita per *Henr. Laughton. Cantabrigiae.* 8.

1712 *Farnabii* XI. ex recensione Nic. Heinsii, cum notis *Thom. Farnabii. Amstelodami, apud Ianssonio-Waesbergios.* 12.

——*Ruaei* X. *Londini.* 8.

1713 *Ruaei* XI. *Venetiis.* 4.

——P. Virgilii Mar. Opera. Inter Opera et Fragmenta veterum Poëtarum a *Mich. Maittaire* edita *Londini.* fol. Vol. I. pag. 359. seqq.

1714 P. Virgilii Mar. Operum editio nova ceteris om-

nibus emendatior. *Parisiis, apud Io. Barbou.* 4. et 12.

1715 Opera. *Londini, ex officina Iac. Tonson et Io. Watts* 12 mai. per *Mich. Maittaire*, qui varias lectiones ex Veneta per Leon. Achatem 1472. et Mediolanensi 1474. praemisit.

——*Ruaei* XII. *Parisiis.* 12. 4 voll.

1716 *Minellii* XIII. *Londini.* 8.

——P. Virgilii Mar. Opera, typis excusa nova methodo, qua, sine commentariis, intemerato atque emendatissime dato textu, multa lectori commoda emergunt, prout per praefationem patet et summam modi editionis: in studiosae iuventutis gratiam; opera et cura, nec non sumptibus *Gulielmi Binaldi. Dublini.* 24. cum accentibus.

——Opera, cum versione Gallica et notis criticis et historicis *Franc. Catrou. Parisiis.* 12. 6 voll.

1717 *Nic. Heinsii* IX. P. Virgilius Maro, accurante *Nic. Heinsio. Amstelodami, apud Ianssonio-Waesbergios.* 12.

AETAS V. *HEINSIANA* II.

1717 — 1807.

triumviralibus *Pancratii* MASVICII, *Petri* BURMANNI I. et *Christiani Gottliebii* HEYNE, curis perfectior. De *Masvicii* post Emmenessium in Virgilium meritis ad eius editionem sub an. 1717. quaedam monemus. Superavit eum mole editionis et critica cura aemulus et obtrectator *Burmannus*, Heinsii vestigia legens, cuius etiam Obss. ad Virgilii lectionem firmandam primus protulit, textum et poëtae et Servii cet. accuratius constituendo inde ab an. 1744. et 1746. ceterum ipse ad interpretationem poëtae parum attulit. Quo maior gratulatio decernenda fuit *Heynio*, non solum critico acuto et modesto, sed et interpreti a sapientia pulchri et doctrina veriori instructo, qui utramque artem attulit in ed. ampliori an. 1767. edi coepta, et an. 1775. absoluta; dein auctius et emendatius repetita an. 1788. 1800. 1803. Egregiam vero operam huic aetati ab an. 1741. praestitere, *Io. Caietanus Bottarius*, Codicis antiquissimi Vaticani cum figuris aere incisis novus editor et collator, ac *Petrus Franc. Fogginius*,

Codicis Medicei illo etiam praestantioris editor. Supersedere post illos potuit *Ant. Ambrogius*, interpres Virgilii Italus, sed parum criticus, sumtuoso magis quam utili Virgilii ex Cod. Mediceo edendi labore. Ex Anglis Codd. VII. conferendo *Io. Martyn*, Georgicorum et Buc. editor, magis tamen ab interpretatione, quam a critica arte laudatus, et si placet, *Alex. Cuninghami*; praestantissimi Horatii editoris, posthumae curae, Virgilio haud obfuere. Successere his viri ingenio et doctrina praestantes, *Gilbertus Wakefield*, novae editionis Georgicorum an. 1788. et Operum 1796. in Britannia curator; et *Io. Henr. Voss*, auctor versionis Germanicae, summa cum arte factae, doctissimisque commentariis instructae. Ceterum in edendo magnifice vel splendide poëta certarunt Angli, Galli et Batavi; unde ditiores gaudent in Londinensibus Brindleii, Parisinis Philippei s. Coustelerio — Barbouianis, Birminghamiensibus Baskervillii, Glasguensi cet. maxime vero in Londinensi aere incisa cum figg. 1750. *Knaptonii* et *Sandbyi*, et illa an. 1753. cum verss. *Pitti*, *Wartoni* etc. Eiusdem magnificentiae est illa *Henr. Iusticii* Hagae Comitana 1753. In Ambrogiana 1763. seq. gaudent Itali. Habent tandem, uti Batavi *Farnabios* et *Minellios*, ita Galli suum *Invencium*, Angli suum *Cookium*, et qui istis omnibus inferior est *Stierlingium*, Germani, praeter Minellium quem suum fecere, *Iunckerum*, et vernaculos interpretes commentatoresque, ac novissime *Braunium*, ceteros, qui elegantiae officiunt.

1717 *Masviciana*. P. Virgilii Mar. Opera cum integris Commentariis Servii, Philargyrii, Pierii. Accedunt Scaligeri et Lindenbrogii Notae ad Culicem, Cirin, Catalecta. Ad Cod. Ms. Regium Parisiensem recensuit *Pancratius Masvicius*. *Leovardiae, excudit Franciscus Halma*. 4. 2 voll. c. figg. — Praestantior editio, quamvis Petr. Burmannus I. in admonitione de hac ed. succinente fratris fil. Petr. Burmanno II. in Praef. ad Virg. 1746. graviter in ea carpat supinam negligentiam, desidiam et errores Masvicii, tum quod, licet vitiosas Danielis edd.

Genevensem, (sed et editio 1636. sua bona habet) et Amstel. Commelinianum Schrevelii in Servii Commentariis edendis secutus, Thom. Munkeri emendd. sublegit, et indicem Erythraei ex Emmenessiana novis erroribus cumulatis descripsit. Conf. etiam Acta erud. Germ. Vol. V. n. 4. pag. 112. seqq. Idem aemulus hanc ed. ad Emmenessii I. Schrevelii excusam esse contendit; cum vere sit ad Heinsianam expressa, nisi aliquot in locis, quae Heinsius non Medicei Cod. auctoritate, sed suis coniecturis ductus receperat. Variae lectiones notabiliores post Erythraei indicem ex Cod. Parisiensi (Regio) et Markiano (Parrhasiano) subiectae sunt. Repetita est haec ed. Venetiis 1736. et ad eam alia minoris formae Amstelod. an. 1730. nitidissima, et Londinenses Brindleii an. 1744. ac 1753. elegantiores, itemque illae Paris. Steph. Andr. Philippe 1745. et 1754. exactae sunt.

——*Benedicti Averanii* Dissertationes in Virgilium XLV. In eius Operibus *Florentiae* 1717. fol. Tom. I. — Vulgaria intolerabili prolixitate recoquit. Subsistit ad Aen. I. 49.

1718 *Ruaei* XIII. *Londini.* 8.

——Opera, cum notis *Christ. Iunckeri* ad modum Minellii. *Lipsiae.* 12.

——Aeneis, cum versione Anglica *Ios. Trapp. Londini.* 4. 2 voll. — Conf. infra an. 1731.

1719 *Minellii* XIV. *Amstelodami.* 12.

1722 *Ruaei* XIV. P. Virgilii Mar. Opera. Interpretatione et notis illustravit *Car. Ruaeus* ad usum Delphini. Nova editio, auctior et emendatior. *Parisiis.* 4.

——*Ruaei* XV. *Londini.* 8.

——Opera, cum notis Germanicis. *Halae ap. Renger.* 12.

——*Nic. Heinsii* X. *Amstelodami, apud Wetstein.* 12. — Ex ed. Ultraiectina 1704.

1723 *Ruaei* XVI. *Hagae Com.* 8 mai. 2 vol.

——Opera, cum notis variorum (h. e. Abrami, Farnabii, Iuvencii.) *Rothomagi.* 8. — Ex Rothom. 1711.

1724 *Nic. Heinsii* XI. *Amstelodami, apud Henr. Sauzet.* 12. — Mendosa editio.

1725 P. Virgilii Opera, quae supersunt in antiquo Co-

dice Vaticano, ad priscam imaginum formam incisa a *Petro Sancte Bartoli* in Bibliotheca Camilli Card. Maximi diu servata *etc.* fol. — Sunt LV. tabulae aere incisae. Textus ipse non additus. Crevenna Vol. III. pag. 196. seq. Conf. an. 1741.

——*Christophori Augusti Heumanni* Notae criticae ad Virgilii Eclogam X. In eiusdem Poecil. Tom. I. Lib. IV. pag. 530-540.

1726 *Ruaei* XVII. *Parisiis.* 4.

——Commentarii in P. Virgilium Mar. nunc primum iuxta ordinem verborum, post tamen uberioribus notis locupletandi. Tomus I. II. III. Scribebat D. *Gaspar Pinto Correa* Theologus Lusitanus, Garalaiensis Barcellorum Collegiata Canonicus Poenitentiarius. *Ulyssipone occidentali.* 4. — In puerorum usum scripti.

1727 *Ruaei* XVIII. *Londini.* 8.

1729 P. Virgilii Mar. Opera, cum versione Gallica et notis *Franc. Catrou. Parisiis, apud fratres Barbou.* 8. 4 voll.

——*Ruaei* XIX. *Parisiis.* 8.

——Aeneis, cum versione Anglica *Ios. Trapp.* 8. 2 voll.

1730 Opera, ex recensione *Pancr. Masvicii. Amstelodami, apud Wetstein et Smith.* 12. — Nitida editio. Sed Masviciana fere cum Heinsiana congruit.

——*Minellii* XV. *Amstelodami.* 12.

——Opera, cum notis Germanicis *Abr. Kriegelii*, scholae Thom. Lips. Collegae. *Lipsiae.* 8. — Kriegelius notis ex doctrina veterum, maxime Mythologia, poëtam illustrare voluit; sed parum haec opera profuerit studiosis. Repetita tamen saepius editio.

1731 Opera, cum versione Anglica et notis *Ios. Trapp. Londini, apud I. Brotherton.* 12. 3 voll. — Trappius iudicii acumine et elegantia parum se commendat, peccatque forte copia rerum ac verbositate, si viris, non ephebis, scripsit. Sunt tamen in eo plura utiliter monita, quam in multis valde doctis notis. Aeneis iam 1718. et 1729. excusa fuerat.

——Opera, cum notis *Christ. Iunckeri* ad modum Minellii. *Lipsiae.* 12.

1732 *Minellii* XVI. *Hafniae.* 8.

1733 *Minellii* XVII. *Londini.* 8.

——Opera. In Corpore Poëtarum Latinorum Mediolanensi. 4. Tomo V. VI. VII. — Vid. Verss. Italicas h. a.

——Opera, cum notis Germanicis *Abr. Kriegelii. Halae.* 8.

——Bucolica in ordinem prosaicum disposita; una cum vocabulario explicativo: verborum thematis, regimine et significatione, scansionis tabula, hexametri carminis legibus et quibusdam, quae occurrunt figg. rhet. In usum iuventutis edidit *Ioannes Stirling. Londini.* 8.

1734 *Georg. Waddelii* Animadversiones criticae in loca quaedam Virgilii, Horatii, Ovidii et Lucani. *Edinburgi, apud Rob. Freebainium.* 8.

1735 *Ruaei* XX. *Venetiis, apud Seb. Coleti.* 4. 2 voll. — Ad ed. Parisiensem 1722. recusa.

——*Minellii* XVIII. Opera, cum annotationibus *Minellii* a *Ios. Ant. de Sylva. Ulyssipone occidentali.* 8.

——Opera, cum versione Anglica et notis *Ios. Trapp. Londini, apud Io. Brotherton.* 12. 3 voll. — Vid. 1731.

1736 Opera, cum notis variorum, ex recensione *Pancratii Masvicii. Venetiis, per Io. Bapt. Paschalium.* 4. 2 voll. — Ex ed. 1717.

——Opera, cum notis *Christ. Iunckeri* ad modum Minellii. *Lipsiae.* 12.

——Opera, cum versione Gallica et notis *Landelli de S. Remy. Parisiis.* 8. 4 voll.

1737 Opera, cum notis Germanicis. *Halae.* 8.

——Opera, cum notis Germanicis. *Viennae Austr.* 8.

——Opera, cum notis Germanicis *Abr. Kriegelii. Lipsiae.* 8.

——Opera, cum notis Germanicis. *Norimbergae.* 8. — Textum sequitur editionis Boecleri 1698.

1738 *Nic. Heinsii* XII. P. Virgilii Mar. Opera, e recensione *Nic. Heinsii. Patavii, excudebat Iosephus Cominus.* 8. — Huic editioni, quae Heinsianam 1676. collatam cum illa an. 1704. sequitur, praefuit Io. Ant. Vulpius, qui etiam ad Fabricii notitiam liter. supplementum editionum Virgilii addidit.

1740 *Minellii* XIX. *Hafniae.* 8.

——*Ruaei* XXI. *Londini.* 8.

1741 Antiquissimi Codicis Virgiliani fragmenta et pictu-

rae ex bibliotheca Vaticana ad priscas imaginum formas a *Petro Sancte Bartoli* incisae. *Romae, ex chalcographia R. C. A.* (Romanae Camerae apostolicae) *apud Pedem marmoreum.* fol. — Exhibet hic liber Codicem Vaticanum antiquissimum n. 3225. cuius possessores olim Iovianus Pontanus, Petrus Bembus ac Fulvius Ursinus fuere, et in quo fragmenta Virgilii nonnulla inde a Georgic. III. servata sunt, cum picturis nitidissimis aeri insculptum ad ipsam libri scripturam; et P. M. Benedicto XIV. a Io. Dominico Compiglia, chalcographiae C. A. praefecto, inscriptus est. Prius exemplum harum picturarum Camilli Cardinalis Maximi (de Maximis) iussu Bartolus aere expresserat, sed a quo pauca exempla ducta fuere; in quibus cum prima pagina radio exarata vacuum literis recipiendis haberet spatium, titulus cum anno ab aliis aliter est suppletus. Exstat exemplum an. 1677. 4. quod ex Memorab. Biblioth. Dresd. Tom. II. pag. 317. laudat Heynius in Elencho Codd. pag. CXXX. alterum s. a. sic inscriptum: *Iconicae figurae, quae in vetustissimo Codice Virgiliano bibliothecae Vaticanae anno supra millesimum scripto et depicto, visuntur Romae.* Vid. Ephem. Lips. liter. an. 1743. n. VII. pag. 59. Aliud annum 1725. prae se fert, quod vid. supra h. a. Ob paucitatem horum exemplarium Bottarius tandem totum librum vulgare laudabiliter instituit; quem doctissime praefantem, et P. P. Benedictinos in libro *Nouveau Traité de Diplomatique* Tom. III. pag. 56. seq. iisque adstipulantem Heynium si audias, Codicis illius membranacei quadrato volumine, ad nostri fere quaternionis formam, maiusculo et quidem capitali Romano rustico charactere, continuis vocibus sine interpunctione exarati, (sed a recentiori manu suppleti) picturis exornati, quibus ille multo etiam magis, quam scriptura, inter viros doctos celebrari coepit, vetustas haud ultra seculum quintum assurgit, ita ut picturae, quae in vestibus, armis, supellectili, sacrorum ritibus et aliis rebus, altioris antiquitatis vestigia produnt, ex vetustiore libro expressae meliorem antiquitatis rationem referant. Bottarius etiam XLIV. alia Mss.

Digitized by Google

memorat, et praeter picturas inde sumtas, etiam literarum characteres in iis adhibitos aere exprimendos curavit. In fine operis non solum notae et emendationes in orthographicam rationem Codicis huius Vaticani exhibentur, sed et collationes Codicis alterius Vaticani n. 3867. Bucolica, Georgica et Aeneidem exhibentis, cum editione Emmenessiana 1680. ex offic. Hackiana.

——P. Virgilii Mar. Codex antiquissimus, a Rufio Turcio Aproniano V. C. distinctus et emendatus, qui nunc Florentiae in bibliotheca Mediceo-Laurentiana adservatur, bono publico typis descriptus. *Florentinae, typis Mannianis.* 4. — Praestantissimi huius monumenti editione nil est, Virgilii lectionem quod magis firmet. Est enim integer codex, nec nisi ab initio ad Eclogam sextam, *Proetides implerunt*, truncatus. Praefationem, cui praemissa est Virgilii imago a S. Bartoli designata cum aliis ornamentis, scripsit editionis curator *Petrus Franc. Foggini*, primum de melioribus Virgilii curatoribus Pierio, Gabiano, Fabricio, Pulmanno, Nic. Heinsio, Emmenessio et Masvicio, tum de orthographica Codicis Medicei ratione agens. De ipso Codice pluribus agit Heynius in Elencho Cod. Virgilii pag. CXXXIII. seqq.

——P. Virgilii Mar. Opera, interpretatione ac notis illustrata opera et studio *Th. Cooke. Londini, impensis Iac. Hodges.* 8. — Ruaei operam emendandam sibi sumsit editor. In magna aequalium existimatione liber habitus.

——Opera, in usum iuventutis edidit *Io. Stirling. Londini.* 8. 2 voll.

——P. Virgilii Mar. Georgicorum libri quatuor. The Georgics of Virgil, with an English Translation and Notes by *John Martyn*, Prof. of Botany in the University of Cambridge. *London, printed for the Editor by R. Reily*, 4. cum XIII. figg. in aes incisis, et variis coloribus ornatis. — Splendida editio, ad ad quam instruendam VII. Codicum varietates habuit, quas ex ea recenset Heynius in Elencho Codd. pag. CXLVII. qui sic de editore iudicat: »Sed viro doctissimo, cuius alioqui laudibus nihil detractum

velim, acumen fere criticum, omninoque hoc accuratioris eruditionis genus defuit; itaque nec satis accuratam in iis libris excerpendis, neque in antiquis editionibus, quas plures, admodum raro obvias, apud se habuit, excutiendis operam locasse videtur. Ita nec minus in notis, inter plurimas egregias observationes, multa valde vulgaria operose exponi videas. Praecipua vero dos, qua se commendat Martyni opera, est, quod rei rusticae et botanicae intelligentior ille fuit ceteris commentatoribus. «

1742 et 1744 Aeneis, cum versione Germanica *Io. Christoph. Schwartzii. Ratisbonae.* 8. 2 voll.

1743 Opera, cum versione Gallica et notis *Fr. Guyot des Fontaines. Parisiis, apud Guillot.* 8. 4 voll. c. figg.

——— Opera, cum versione Anglica et notis *Davidsoni. Londini.* 8. 2 voll.

——— P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica et Aeneis. Ex recensione *Alex. Cuninghami* Scoti, cuius emendationes subiiciuntur. *Edinburgi, apud G. Hamilton et I. Balfour.* 12. — Ita de hac existimat Heynius: Ex schedis eius et iis, quae ad marginem ed. Elzev. 1676. alleverat, post eius mortem vulgata. Variantes lectiones ab aliis e Codd. notatas, et edd. vett. 1470. 1472. 1474. et 1476. excusserat, e quibus pauca excerpta hic subiecta sunt una cum eius coniecturis, quae importune satis in contextum saepe receptae sunt.

——— Opera, ad fidem optimorum librorum accurate recensita. *Gottingae, ex offic. Acad. van den Hoek.* 12.

1744 *Heinsio-Burmanniana* II. minor, sine notis, proludens maiori: P. Virgilius Maro, ex editione *Nic. Heinsii* et *Petri Burmanni. Amstelodami, apud Iac. Wetstenium.* 12. — Praefatus est Petr. Burmannus II. primi ex fratre nepos. Omissa Heinsii praefatione, sequuntur Donatus de Virgilii vita, et Testimonia de Virgilio, ut in Heinsianis.

——— P. Virgilii Mar. Opera. *Londini, typis I. Brindley.* 12. — Ad Masvicii editionem castigata. Recusa an. 1753.

1745 Opera. Curis et studio *Steph. Andreae Philippe. Lutetiae Parisiorum, sumptibus Anton. Urb. Coustelier.* 12.

3 voll. c. figg. — Editor in praefatione, Lutetiae Par. XVII. Kal. Dec. 1744. pag. 6. seq. profitetur quidem, se in edendis Virgilii carminibus praecipuum ducem secutum esse Codicem Mediceum, qualis Florentiae an 1741. cura Fogginii descriptus est; sed ipse mox addit, sibi religionem fuisse, ne latum quidem unguem a probatissimis receptisque opinionibus recedere. Neque is sane recessit ab Emmenessi textu, vel Mascivii recensione, adeo ut et varias lectiones notabiliores, singulis Tomis in calce additas, plerasque ex Masviciana editione sumserit.

——— *Ruaei* XXII. *Neapoli.* 4 mai. 2 voll.

——— *Farnabii* XII. *Patavii.* 12.

——— P. Virgilii Mar. Opera, cura *Io. Hawkey. Dublini, e typographia Academiae.* 8. sine notis.

1746 *Martyniana* Georgicorum editio II. priori 1741. prorsus similis. *London, printed by R. Reily for T. Osborne* 8.

——— *Ruaei* XXIII. *Londini.* 8.

——— *Heinsio-Burmanniana* maior, eaque princeps: P. Virgilii Mar. Opera, cum integris et emendatioribus Commentariis Servii, Philargyrii, Pierii. Accedunt Fulvii Ursini, Georgii Fabricii, Francisci Nansii, Io. Musonii, Tanaquilli Fabri, et aliorum, ac praecipue Nicolai Heinsii notae nunc primum editae: quibus et suas in omne opus animadversiones, et variantes in Servium lectiones addidit *Petrus Burmannus.* Post cuius obitum interruptam editionis curam suscepit et adornavit *Petr. Burmannus iunior*, cum Indicibus absolutissimis et figuris elegantissimis. *Amstelaedami, sumptibus Iac. Wetstenii.* 4. 4 voll. — Nic. Heinsii in Maronem observationes, quas ipse an. 1676. quodammodo in scriniis paratas dixerat, opportuno tempore luce publica donandas, post mortem illius an. 1681. paene cum ipso interciderant, nisi eas tandem an. 1730. adeptus Petr. Burmannus hac editione in lucem revocasset. Continet inde editio haec probationes textus Heinsio-Burmanniani ante biennium editi. Sed et Servii Commentarii a plurimis mendis purgati, et quoad fieri potuit integritati

suae restituti sunt. De horum et ceterorum Scholiastarum edd. ac subsidiis, quibus Heinsius et Burmannus usi sunt ad textum poëtae constituendum Serviumque emendandum, deque aliis rebus criticis, copiose praefatur Burmannus II. Quod ad interpretationem poëtae attinet, non multum ab Heinsio et Burmanno, praeter id quod in Servii Commentt. rectius edendis praestitere, semper auxilii exspectet quisquam; cum optimus Virgilii Commentator *Chr. Gottl. Heyne* plus se ex Cerdae, Germ. Valentis Guellii, Fulvii Ursini et Io. Martyni comm. profecisse non inficietur in sua ad Virgilium praef. p. VIII. ed. I. Neque igitur horum virorum editiones Burmanniana non desiderabiles facit.

——Opera. *Halae.* 12.

——Virgilius restauratus: sive *Martini Scribleri*, summi Critici, Castigationum in Aeneidem Specimen. *Londini.* 8.

1747 Virgilius collatione Scriptorum Graecorum illustratus, opera et industria *Fulvii Ursini.* Access. *Ludov. Casp. Valckenari* Epistola ad Matth. Roeverum, Iliadis Homeri liber XXII. cum Scholiis Porphyrii et aliorum nunc primum editis, et Dissertatio de Codice Leidensi, et de Scholiis in Homerum ineditis. *Leovardiae, ex offic. Gul. Coulon.* 8. — Poterat fructuosior esse haec opera, si ad ipsum Ursinum emendandum vel ornandum aliquid conferre maluisset vir doctissimus. Conf. an. 1568.

1748 *Ruaei* XXIV. *Ingolstadii.* 8.

——Opera, cum notis brevioribus. Ad usum scholarum. *Parisiis, apud Desaint et Saillant.* 12 mai.

——Eadem. Con gli Argomenti a ciaschedun Libro in ottava rima, e con la Tavola delle cose piu notabili d'una si bell' opra, in questa ultima edizione la più corretta ed accresciuta. In Napoli, a spese di Bernardino Gessari. Nella stamperia di Felice Mosca. 8.

1733 et 1734 Raccolta di tutti gli antichi Poëti Latini colla loro versione nell' Italiana favella. In Milano. 4. — Continentur: Tomo V. et VI. l'Eneide, tradotta dal Commendatore *Annibal Caro*. Tomo VII. Li libri della Georgica, tradotta da *Bernardino Daniello*, e La Bucolica tradotta da *Andrea Lori*.

1734 L'Eneide di Virgilio del Commendatore *Annibal Caro*. In questa impressione da molti errori espurgato. In Venezia, per Stefano Orlandini. 12.

1735 Eadem. In questa edizione di vaghe figure in rame adornato. In Venezia, per Stephano Orlandini. 12.

——Egloga prima di Virgilio, tradotta in versi Italiani. — In *Prose e Poësie del' Abbate Girolamo Tagliazucchi*. In Torino. 1735. 8.

1738 L'Eneide di Virgilio del Commendatore *Annibal Caro*. Nuova edizione adornata di figure in rame. Venezia, per Domenico Tabacco. 12.

1739 Di Virgilio Egloga VI. — Legitur in *Prose e Poësie del Ab. Antonio Conti*. In Venezia 1739. Tom. I. pag. 329.

1740 Opere di Virgilio, cioè la Bucolica tradotta da *Andrea Lori*, la Georgica da *Bernardino Daniello*; con la vita del' autore di Tommaso Porchacchi. In Brescia, per Giovanni Colombo. 12.

1741 L'Eneide di Virgilio del Commendatore *Annibal Caro*. Venezia, per Domenico Tabacco. 12.

1742 La Bucolica di Virgilio tradotta all' Altezza Ser. di Giorgio Principe della Gran Britannia da *Paolo Rolli* Compagno della Reale Societa. Londra. 8. — Repetita in *Poëtici Componimenti del Sig. Paolo Rolli*. Venezia 1753. 8. Tom. I.

1746 L'Eneide di Virgilio del Commendatore *Annibal Caro.* Novissima edizione ornata di figure in rame, ed arrichita con le Traduzioni della Bucolica (del *Lori,*) Georgica (del *Daniello,*) e Vita del medesimo Virgilio. Venezia, presso Giammaria Lazzaroni, Domenico Tabacco, e Compagno. 12.

1749 La Georgica di Virgilio, tradotta in versi Italiani da M. *Bernardino Daniello.* In Napoli, presso Serafino Porsile. 8.

——Li due primi Canti dell'Eneide, tradotti in versi Italiani dal Sig. *Giuseppe Torelli.* In Verona, per Dionigi Ramanzini. 8.

1750 L'Eneide di Virgilio del Commendatore *Annibal Caro.* Venezia, presso Giammaria Lazzaroni e Domenico Tabacco. 12.

1757 Le Georgiche di Virgilio volgarizzate in versi endecasillabi sdruccioli da *Francesco Cantuti* Castelvetri Accademico Ducale. In Modena, per gli eredi di Bartolomeo Soliani. 8.

1758-1762 L'Opere di Virgilio, tradotte in versi Italiani da *Antonio Ambrogi* Fiorentino. In Roma. 8. 4 voll. —Repetita ibid. an. 1763-1765. fol. 3 voll. c. textu Lat. Vid. supra edd. h. a.

1760 La Bucolica di Virgilio, tradotta verso per verso da *Girolamo Pallantieri;* publicata da Muzio Manfredi *etc.* novellamente proposta a' dilettanti di belle lettere. Parma, dalle stampe de' fratelli Borsi. 4. c. textu Lat.

——L'Eneide di Virgilio del Commendatore *Annibal Caro.* Parigi, presso la vedova Quillau. 8 mai. 2 voll. c. figg.

1761 L'Eglogua X. di Virgilio. Inserta libro inscripto: *Tempio di Gnido del Barone de Montesquieu, con un saggio degli amori de' più celebri Poëti Latini all' Italiana Poësia donato da Gio. Battista Vicini. Londra* 1761. 8.

1764 Opere di Virgilio Marone, tradotte nell'Italiana favella da *N. N.* (D. *Giovanni Pizioli* Veneziano.) Livorno, a spese di Domenico Ferrarini libraio Veneto. 8. 2 voll. c. textu Lat.

——Bucolica di Virgilio, tradotta in versi Italiani da *G. G. G.* (*Gioachimo Gabardi* Gesuita.) In Carpi. 8.

1765 La Buccolica e le Georgiche di Virgilio, tradotte

in versi sciolti da D. *Gian-Francesco Soave* C. R. S. Con un Poëmetto della maniera di ben tradurre, e un'Orazione di S. Basilio del modo di trar frutti da' libri de' Gentili. In Roma, nella stamperia di San Michele, per Francesco Bizzarini Komarek. 8.

1766 Le Georgiche, tradotte da *Presp. Manoeo.* Parma. 4.

1768 Le Georgiche, tradotte da *Alessandro Biancoli.* Pesaro. fol.

1790 L'Eneide di Virgilio, tradotta in versi Italiani da *Clem. Bondi.* Parma. 8. 2 voll.

1792 L'Eneide di Virgilio volgarizzata dal *Bm. Beverini.* In Neapoli, per Saniacomo. 8.

1797 Le Georgiche di Virgilio, tradotte in versi Italiani da *Lod. Antonio Vincenzi.* Modena. 8.

1800 Le Georgiche, tradotte in versi Italiani da *Clem. Bondi.* In Vienna. 4. c. textu Lat.

.... Il primo libro dell'Eneide, tradotto in ottava rima da *Alessandro Guarnello.* In Venezia. 8. s. a. et typogr.

.... Il Moreto tradotto in ottava rima da *Vinzenzo Rai* Pratese. Firenze. 8. s. a. et typogr.

DANICAE.

1680 Bucolica Danico carmine reddidit *Petr. Ian. Roiskilde.* Hafniae. 8.

——— Georgica, interprete *Mich. Christ. Raun*, s. *Corvino.* Hafniae. 8.

——— Bucolica et Georgica, interprete *Petro Barous* Ripensi. Hafniae. 8.

1709 Bucolica, interprete *Andr. Trane.* Sub titulo: *Comoediae Bucolicae Mantuanae.* Hafniae. 8.

1753 Bucolica et Georgica, per *F. Ch. Schoenau.* Hafniae. 8.

1781 Bucolica, Danice, cum textu Lat. ita ut singuli poëtae versus singulis versibus Danicis exprimantur, per *S. H. Wold.* Hafniae. 8.

1796 seqq. P. Virgilius Maro's Aeneis, efter den Latinske Original ved *N. Lang. Nissen.* Kopenhagen. 8.

1797 Virgilius om Landbrug. Kopenhagen.

SUECICAE.

1740 Eclogae Suecicis versibus redditae prodierunt Holmiae. 4. Repetitae ibid. an. 1752. 4.

1751 Aeneis, interprete *A. Nicandro.* Holmiae. 4.

1804 Virgilii Aeneis, öfwersett af *G. J. Adlerbeth.* Stockholm. 8 mai.

POLONICAE.

1590 Polonica Aeneidis versio *Andreae Kochanowski* Cracoviae excusa 1590. factaque rarissima; pariterque rara:

1614 *Valentini Otwinowski* Georgicorum versio: quae utraque recusa

1755 cum nova Bucolicorum versione, et vita Virgilii Polonico sermone plenius scripta, et Zaluskii Comitis, Magni regni Pol. Referendarii, Bibliotheca poëtarum Polonorum, qui patrio sermone scripserunt, Varsaviae apud Patres piarum scholarum, sumtibus bibliopolae regii in Marceville Nicolaei. 4.

HUNGARICAE.

1789 Bucolica in linguam Hungaricam vertit *I. Rainis,* Presburgi. 8.

1799 et 1804 Aeneis, interprete *Ios. Kovats.* Comaronii, ap. viduam Weinmülleri. 2 voll. 8. Titulus: *Magyar Eneis, avagy P. Virgilius Maróndk Eneás' viseltt dolgairól irtt munkaja. Mellyet Magyar versekbe foglalván Kiadott Kovdts Jó'sef, Nagy Kórósi Prédikátor.*

GRAECAE.

1553 Aeneidos liber secundus Graecis versibus redditus per *Georgium Ethrigeum* Oxoniensem Medicum et Graecae linguae Professorem. Londini, apud Reginaldum Wolfium. 8. — Maittair. Ind. pag. 329.

1563 Moretum, Graeca metaphrasi donatum a *Ios. Scaligero*, occurrit inter eius Poëmata, ab auctore oblata Petr. Ronsardo a. 1563.

1583 Pollio, Ecloga IV. Graecis versibus expressa ab *Eusebio Pamphilo.* Lutetiae, apud Frid. Morellum.

4. — Recusa in Maittair. Miscell. Carm. pag. 139. et in Heynii Excursu I. ad hanc Eclog. addita crisi et nota literaria.

1594 Bucolica in Graecum sermonem translata auctore *Dan. Alsworth* Anglo. Romae. — Recusa Parmae an. 1779. una cum Theocrito, Moscho, Bione, Simmia *etc.* 2 voll. 4. Vid. supra edd. h. a. pag. CLXXXIV.

1604 Gallum Dorico carmine reddiderunt *Ios. Scaliger* et *Dan. Heinsius*. Utraque metaphrasis occurrit in Theocrito Heinsii 1604. edito ap. Commelin. 4.

1786 Των Γεωργικων Πουβλιου Ουιργιλιου Μαρωνος τα Δ βιβλια. Georgicorum P. Virgilii Maronis Libri IV. Graeco carmine heroico expressi notisque perpetuis illustrati studio ac labore *Eug. de Bulgaris*. Petroburgi. fol.

1791 Aeneidos P. Virgilii Mar. Libri XII. Graeco carmine heroico expressi, notisque perpetuis illustrati studio ac labore *Eug. de Bulgaris*, qui typis nunc primum ad usum Helleno-Rossiae iuventutis, Graecorum in Rossiaco imperio coloniarum, erudiendae sunt excusi, iussu Imper. omnium Rossiarum Catharinae II. Petroburgi. fol.

AENEIS versibus ludicris exposita.

VERSIBUS *Italicis* ludicra et maccaronica dictione Aeneidem prodidit *Io. Bapt. Lallus*,[1] Romae 1633. 8. 1634. 12. Venetiis 1635. 1651. 12. et Maceratae 1651. 12. unde *Paul. Scarronius* ansam sumsit *Gallicis* versibus maccaronicis idem tentandi in septem libris Aeneidis prioribus (*Virgile travesti* Paris 1648. 4. repet. ibid. 1652. 1655. 1667. *etc.* tum in eiusdem Opp. 1737.) et meliori etiam, ut urbanis et doctis videtur, cum successu; vid. Menagiana Tom. III. pag. 145. et Naudaei Dialogum Mascurati et S. Angeli *etc.* Postremos vero quinque libros simili genere carminis post *Car. Coipeau d'Assouci* suppleverunt *Iac. Morellus Braseus* (Messire Iacques Moreau, Chevalier, Seigneur de Brasey, Capitaine de Cavalerie dans le Régiment de Curassiers Espagnols du Comte de Louvigni) Amst. 1716. 12. et *Tellierus d'Orville* Paris. 1767. 12.[2] *Hispanice* quoque Toledi 1648. 4. prodiit *Virgilio deguisato, o l'Eneido burlesco en lengua Guasconne del Sr. des Valles de Mountech. Anglice*: *Scarronides*, sive libri I. et IV. Aeneidos, carmine Anglico ludicro, Londini 1664. et 1678. 8. auctore *Car. Cotton*, saepius dein repetiti; *Cataplus*, or Aeneas his descent to Hell, a mock Poëm in imitation of the sixth of Virgil's Aeneis. London. 1672. 12. nescio quo auctore; *Maronides*, or Virgil travestie (lib. V. et VI.) by *John Philips*. London 1672. et 1673. *Scarronides*, a mock-Poëm on the second Book of Virgil's Aeneis in English Burlesque, by *John Smyth*. London. 1691. 8. *The Story of Aeneas*

1 De hoc *Lallo* Nursiensi vide sis Elogia Academiae incognitorum pag. 221. Ianus Nicius Erythraeus Pinacothecae I. cap. 73. pag. 131. *Virgilii Bucolica et Aeneidos libri Etrusco carmine miro lepore ac venustate, facetis amoenisque sententiis in ridiculum conversi: quo in genere scribendi sale facetiisque Lallius omnes sui aevi superavit.* Alios ludicri carminis scriptores refert Iul. Niger pag. 185. Bibliothecae scriptorum Florentinorum, ubi de Franc. Bernio.

2 Add. *Virgile gougenard, ou le XII. livre de l'Enéide travesty par* Claude Petit-Iehan, *Avocat. Paris.* 1652. 4.

and Dido, from the fourth Book of the Aeneid, burlesqued. Charlestown. 1774. 8. *Belgice*, libri duo primores Aeneidis auctore *W. G. van Foquenbroch*, in eius *Thalia*, Amst. 1679. *Germanice*: Virgils Aeneide (lib. I - IX.) travestirt von *Blumauer*. Neue Auflage. Leipzig. 1803. 8. Lepidissimum carmen, invita Minerva continuatum a *Carl. Schabero*, Francofurti et Lipsiae 1794. *Russico* tandem idiomate: Jeneida na Malorossijkij jazyk parelitziovannaja *J. Kotliarevskim*. Petroburgi 1801.

Huiusmodi dictione ludicra sive maccaronica, ut obiter id attingam, primus apud Italos usus est *Theophilus Folengus* sub *Merlini Coccaii* nomine: nam perinde ut Fidentianus phrasin Latinam vocesque per iocum immiscuit idiomati Italico, sic ille verba Italica et phrases Hetruscas Latinae inseruit compositioni, quod deinde Galli, Belgae, et aliae nationes sunt imitatae. Sed illud scribendi genus aspernatur Boilavius in Arte poëtica carmine I. Menagius in Originibus Gallicis pag. 141. et in Miscellaneis Italice editis pag. 322. seq. et multis reprehendit Franciscus Vavassor in libro politissimo ac pererudito de ludicra dictione. Verum si otiosis hominibus placet ridere, ita etiam moveri risum quid vetat?

ARGUMENTA
BUCOLICORUM
EX HEYNIANA EDITIONE.

Eclog. I.

Meliboeus, agris suis exutus, dum patria extorris capellarum gregem ante se agit, in Tityrum incidit, quem cum in communi calamitate summa securitate et otio frui videret, miratus hominis sortem, cui acceptam eam ferat, rogat. Narrat Tityrus, quomodo et a quo agros suos gregesque salvos recuperaverit, v. 20. seqq. scilicet se, iam aetate provectum, libertatis consequendae causa Urbem adiisse, ibique ab heri facilitate hoc obtinuisse, ut greges suos tuto ac libere pascere liceret. Putandus est adeo Tityrus esse unus ex pastoribus servis in fundo a domino habitis: conf. v. 28. Interea alter de malis ac molestiis migrationis suae conqueritur, tandemque aperte de veteranorum immissione in agros loquitur v. 70. Subsistit dialogus in eo, ut Tityrus miserum exsulem in suo tugurio pernoctare iubeat.

Atque hoc quidem verum ac proprium carminis est argumentum: quod quantum a natura carminis pastoritii proprie dicti absit, facile apparet; et quale novum genus constituat, in disputatione de Bucolicis Virgilianis expositum est. Sed communis omnium temporum opinio, veterum Grammaticorum fide firmata, obtinuit, Eclogae huius rationem ad illa tempora et Virgilii fortunam accommodatam esse, eoque anno eam (U. C. 713.) scriptam esse, quo Triumvirorum pactione decreta nefanda illa agrorum inter veteranos divisio ab Octaviano facta est: de qua vid. Appian. Civil. lib. IV. 3. Dio XLVII. 14. Ante enim, quam Antonius et Octavianus adversus Cassium et Brutum proficiscerentur, icto ad Mutinam foede-

re, quae est infamis illa Triumvirorum pactio U. C. 711. ut exercitum, ex veteranis fere conscriptum, in fide retinerent, militibus praeter alia praemia colonias urbium Italicarum, et opibus et solo et aedificiis inter ceteras insignium, octodecim, quae Cassii partes amplexae erant, inter quas Capua, Rhegium, Venusia, Beneventum, Nuceria, Ariminum, Vibona et Cremona memorantur, promiserunt: h. e. receperunt in se, se eos, bello feliciter confecto, in illas urbes, tanquam colonias, deducturos, et eorum, qui nunc incolerent, agros iis assignaturos esse. Quam rem cum, Cassio et Bruto caeso, in Italiam redux Octavianus perficere vellet, partim ex militum insolentia et avaritia, partim ex eiectorum de suis bonis indignatione magni motus ac tumultus orti sunt. Vid. Appian. Civil. V. 3. 12. seq. Dio Cassius XLVIII. 5-9. adde Sueton. Aug. XIII. Erat autem eorum, quibus praemia solvenda essent, ingens numerus, legiones nimirum, si Appiano fides habenda l. l. non minus XXVIII. quae una cum annumeratis in legiones efficiebant centum et septuaginta virorum millia, praeter equites et turbam militarem: quamquam eorum, quibus ad Mutinam promittebantur agri, numerus etiam maior erat; habebant enim Triumviri sub signis legiones XLIII. ut adeo quindecim legiones bello confecto desiderarentur; sive quod tanta hominum vis interiit, sive quod nonnullae legiones ab Antonio in Asiam abductae sunt, aliae vero, nondum stipendiis emeritis, ad nulla militiae praemia adspirare poterant; certe octo mille ex hoc numero memorantur apud Appianum.

Inter eos, quorum agri assignati erant veteranis, fuere Cremonenses, qui et ipsi Cassii Brutique partes erant secuti. Vid. Serv. ad Ecl. IX. 28. Quorum agri cum pro militum immissorum numero nimis angusti essent, vicinos Mantuanorum agros additos esse narrant. Cuius rei etsi nullum, praeterquam Grammaticorum, auctoritatem reperio, fidem tamen ei faciunt alia. Appianus quidem militum avaritiam non sese continuisse intra suos agros memorat, sed eos passim vicinos agros insolenter invasisse; plus, quam concessum esset, usurpasse, et quos meliores iis, qui sorte obtigerant, putarent agros, suos fecisse. Potuere itaque milites transgredi fines et Mantuanos agros invadere; ut vel sic *Mantua Cremonae nimium vi-*

cina dici posset. Inter Mantuanos, qui hanc iniuriae indignitatem subirent, Virgilium fuisse tradunt: eum tamen, sive suo sive Asinii Pollionis consilio, Romam profectum ab Augusto obtinuisse, ut agri sibi restituerentur; ut adeo sub Tityri persona suam fortunam poëta adumbraverit. Atque ea iam veterum opinio fuit; vid. Nemesian. Ecl. II. 82. Calpurn. IV. 162. Sidon. libr. I. Epist. 5. ut Quintilianum taceam. Quae res bene se habere potest; modo allegoria non ad omnes versus et verba singula circumferatur. Grammaticorum omninoque Interpretum, in his Catroei, intolerabiles sunt in allegoria expedienda argutiae et nugae. Locus autem, in quo pastores conveniunt, est ad umbrosam fagum in loco arboribus consito, sub qua Tityrus recubans pastoritio cantu otium consumit, dum gregem errantem prospicit. Versu tamen 52-59. accuratius describitur loci prospectus, et quantum v. 48. 49. *quamvis lapis omnia nudus* — intelligitur, ex ipsa rerum veritate. Ad maiorem rei iucunditatem facit contraria alterius pastoris fortuna, quae miserationem movet, et qua nihil disertius ad Tityri felicitatem illustrandam commemorari poterat.

Sunt tamen multa in hac Ecloga, in quibus subtilius poëtae iudicium desideres; nec ex hoc carmine eius ingenium aestimare velis. Primum ipsum hoc genus argumenti, quod, etsi pro mera allegoria haberi nequit, ad allegoriam tamen quodammodo accedit, adeoque in perpetuo rerum ac verborum lusu versatur, vix satis magnam gravitatem ac dignitatem unquam habere potest. Nec in eo potuit vitae rusticae propria vis ac ratio (characterem vocant) recte servari. Vix e persona pastoris apotheosis illa heri satis placere potest. Comparatio autem seu allegoria non ubique commode procedit. Sic v. 28. Tityrus, ut libertatem suam impetret, Romam proficiscitur; obtinet ab hero libertatem greges pascendi: quid mirabimur hoc factum, si quidem ille heriles greges pascit? v. 46. *Pascite, ut ante boves.* Si libertatem consecutus est, quomodo haec securitatem et tutam in agro a vi hostili vitam praestare debuit? In sententiis autem ac verbis plurimâ sunt ab hoc rerum et hominum genere aliena. Ita plures versus sunt fere epici, ut 7. *illius aram Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.* Sic 60. seq. 65. seq. Cum tamen semel poëta suum sibi bucolici carminis ge-

nus constituerit, quo a vitae pastoritiae simplicitate recedendum ei esset, licuit et haec et alia in carmen suum recipere.

ECLOG. II.

Corydon pastor, Alexidis pueri, qui a communi utriusque domino amabatur, insano amore cum fureret, miserum sui animi affectum hoc carmine exponit. In votis habet, ut ille ruri secum habitet. Enumerat copias suas et opes rusticas v. 20. suam oris speciem 25. suam artem canendi 31. sua munera puero parata, fistulam 36. et duo capreolos 40. tum corollas variorum florum 45. mox tamen damnat ipse amorem suum 58. Dominus per *Iolae* nomen declaratus esse videtur v. 57. Idem Corydon amaverat Amaryllidem, asperam puellam, et Menalcam puerum v. 14. seq. 52. Etiam in huius Eclogae allegoria retexenda misere se torquent interpretes, cum a Servio et aliis traditum accepissent, Alexin sive Asinii Pollionis sive Maecenatis puerum fuisse, a Virgilio amatum; quamquam eius rei non satis constans fama fuit; conf. Heins. Martynus ad v. 1. et Catroeus. Quae ita secusne sese habeant, scire utique nihil refert; neque de castis Virgilii moribus disputare h. l. attinet; etsi ille in dilectu talis argumenti morum suorum castitatem parum nobis approbavit. In interpretatione tamen satis est aut tenere, aut statuere, Virgilium ingenii causa, forte ut Theocritum imitatione exprimeret, haec scripsisse, et exprimi hac Ecloga egregio cum artificio aestum et furias amoris, quo pastor, verna Iolae, nomine Corydon, in Alexin misere exarserat, qui domini amasius erat. Locus autem, in quo ille dolorem animi carmine mitigat, convenientissime describitur v. 3 – 5. amant amantes solitudinem silvarum. Siculos in hac Ecloga pastores inducere videtur poëta, v. 21. *Mille meae Siculis errant in montibus agnae.* Quo ipso argutiae allegoriae concidunt: quae plane corruunt, si expressa pleraque ex Theocrito cogites, inprimis ex Idyll. XI. XXIII. et III. quae tamen, si cum his compares, multo dulciora esse, vix inficiari possis. Transtulit poëta in Corydonem nonnulla, quae melius de Polyphemo dicta erant, ut illud v. 25. *nuper me in litore vidi.* Inverso modo Polyphemi amores ad Corydonis exemplum expressit Ovid. Met. XIII. 776. seq. 801. seq.

ECLOG. III.

Disceptant hoc carmine alternis versibus duo pastores, Damoetas mercenarius, Aegonis oves pascens, et Menalcas, puerili aetate (v. 33.) constitutus, et puerili petulantia alterum lacessens: cuius carminis, *amoebaeum* illud dicitur, ea lex est, ut is, qui respondet, iisdem versibus ac numeris aut contrarium aut maius et pulchrius aliquod dicat, aut ulla alia ratione simile quid subiiciat. Neque ex eodem omnia argumento necesse est esse petita, sed a variis ac diversis plane rebus arcessita; cuius quidem rei bene memores esse debemus, ne argutemur in constituendo sententiarum ordine et nexu. Etiam nostro tempore eius generis carmina apud Italos in pretio haberi, et laudari poëtas *Improvisatori*, nota res est. (Conf. Spencius, Anglus elegantissimus, Ecl. VII. pr.) Occasio huius certaminis parum feliciter a conviciis mutuis et probris, quibus se invicem lacessunt, petitur, in quibus non modo honesti et decori nulla ratio habita, verum ne id quidem, quod poëtae nomen et naturam efficit, spectatum est, ut non nisi grata et iucundae res exhiberentur. Vitae et moribus huius generis hominum convicia ista haud esse insolita, nemo dubitet; verum poëta, si ingenio et carmine recte utitur, nunquam ad sordida et flagitiosa, turpia ac foeda, carmine exprimenda se demittet: multo minus, si carmina *virginibus puerisque* cantare se meminerit. Nec omnino inventi magna laus esse potest, non modo in summa carminis; est enim petitum argumentum ex Theocrito Idyll. IV. et V. verum et in singulis versibus pastorum sibi respondentium: nihil enim in illis est, quod naturali aliquo sententiarum ordine vinctum vim ad animum habeat. Singula disticha sunt singula carmina: scopae solutae. Agitur res inter pascua et greges per agros gramen carpentes; conf. v. 55.

ECLOG. IV.

In hac Ecloga interpretanda dici vix potest, quam inanem operam et olim Grammatici et hinc viri docti vana religione capti navaverint. *Vaticinationem Sibyllae de Christi natalibus* expressam esse, quam Virgilius ingeniose ad natales nobilis pueri transtulerit, iam Lactantius Instit.

Digitized by Google

VII. 24. statuebat, et Constantinus M. in Orat. ad Sanctorum coetum, graece reddita a non indocto homine, Eusebii libris de Vita Constantini adiuncta cap. 19. sq. demonstrare voluit; eiusque auctoritatem cum ista aetate plerumque Christiani homines, (conf. Wernsdorf. Poët. min. Tom. IV. pag. 767. seqq.) tum aetatibus nostris viri docti secuti sunt plerique omnes, de via ac ratione tantum solliciti, qua reconditum huiusmodi vaticinium ad Romanos pervenire potuerit. Vide inprimis Chandler's Vindication of the Defense of Christianity Book II. ch. 2. sect. 2. et Tom. II. Postscript. pag. 44. Whiston's Supplement to the literal accomplishment of Scripture Prophecies pag. 94. seq. Cudworth Systema Intellect. c. IV. §. 16. Certis tamen rerum argumentis destituitur ista opinio; quamvis ea multis aliis exornari possit, quae a viris doctis minus animadversa sunt. Sic, v. c. e Ioseph. Ant. XV. 13. qui Herodem regem Pollionis hospitio et amicitia usum esse memorat, colligere aliquis possit, ab Herode facile, Virgilio praesente, Pollioni de Messia narrari, aut Nicolaum Damascenum, doctum hominem, cuius ministerio Herodes usus est, Augusto percarum, de Iudaeorum opinionibus commemorare potuisse, et id genus alia. Enimvero quicunque sensum Romanorum et ingenium vel e longinquo inspexit, facile tenebit, nunquam Iudaeorum tantam auctoritatem ac fidem aut fuisse aut esse potuisse apud Romanos, longe aliis sensibus, religionibus, iudiciis imbutos, ut istorum opiniones publice admitterent et carminibus celebrarent. Meminit superstitionis Iudaicae Horatius; verum ut eam risu exploderet. Attamen vel sic vulgata esse potuit fama inde ab Oriente propagata, de Rege venturo, de heroë nascituro, de novi seculi, novi rerum ordinis imminente fatali exordio. Nam simili modo alias quoque superstitiones, maxime vaticiniorum, pervagatas esse plura loca reperimus; Romam autem a confluente undique multitudine eas maturius delatas esse quid miremur!

Ut ordine agamus: videamus primo loco, quodnam carminis argumentum sit per se spectati. Carmen bucolicum ad Consulem, quem v. 11. *Pollionem* nominat, se exorsurum esse profitetur Maro 1–3. Agi nunc ultimam aetatem a Sibylla memoratam: inde restitutionem rerum in pristinam faciem, ἀποκατάστασιν, novum seculorum ordinem, novam hominum progeniem, melioris aetatis

vitam, humano generi redituram esse pronuntiat; idque eventurum esse puero aliquo nato, in Pollionis quidem Consulatu, 4-14. Ille adscriptus erit heroibus, et orbis terrarum pacati erit regnator 15-17. Iam vero melior illa aetas, aetati aureae ac Saturniae similis, per gradus succedet, ita ut puero nato exordia, 18-25. incrementa vero sua habitura sit, quando ille adoleverit, 26-36. cumulata autem ut sit et perfecta ab omnibus partibus, ubi ille ad virilem aetatem pervenerit, 37-45. Reliqua sunt exsultantis laetitia et vota facientis ac gratulantis poëtae, 46. ad fin.

Iam in his facile agnoscas, si modo nulla praevia opinione imbutus accesseris, primo poëtam phantasmata ab aureae aetatis narrationibus petiisse; tum vero, eum illa cumulasse in certo aliquo sui temporis eventu declarando, quem paulo obscurius designavit, quoniam in vaticinium rem mutavit, adeoque vaticinantis verbis et phantasmatibus sensa sua exposuit. Solent autem poëtae cupide et ambitiose vaticinia argumenta carminum facere, cum nihil ad enthusiasmum poëticum sit accommodatius: quod multis exemplis doceri posset, si nunc id ageretur. Summa sententiarum haec est: insecuturam esse temporum felicitatem magnam; eamque initium habituram esse a natalibus pueri, Pollione Cos. nati. Quinam ille puer fuerit, et quid poëtam adduxerit, ut tantam rerum conversionem eo nato insecuturam polliceri posset, hoc est, quod quaeritur. Scilicet inter omnes populos, magna inprimis aliqua calamitate oppressos, vaticinia circumferri assolent, quae sive graviora minari sive laetiora solent polliceri, eaque, necessaria rerum vicissitudine, melioribus aliquando succedentibus temporibus, fere semper eventum habent. Nullo tamen tempore vaticiniorum insanius fuit studium, quam sub extrema reipublicae Romanae tempora, primosque Imperatores; cum bellorum civilium calamitates hominum animos terroribus omnis generis agitatos ad varia portentorum, prodigiorum, et vaticiniorum ludibria convertissent. Inprimis autem ad Sibyllas multa vaticinia referebant, cuius oraculorum generis omnino et alias inter Romanos et tunc multo magis erat magna auctoritas. Collegit ex illa aetate oracula nonnulla Sibyllina Fabricius Bibl. Gr. Tom. I. libr. I. c. 30. §. 6. seqq. Sed rem satis vel unus Suetonii locus Octav.

c. 31. declarat; cum Augustus *librorum fatidicorum Graeci Latinique generis, qui nullis vel parum idoneis auctoribus ferebantur, supra duo millia contracta undique cremaverit.* Iam in magno illo numero vaticiniorum et oraculorum, quae partim superstitione partim fraudibus hominum celebrata, et sive sub aliis nominibus sive sub Sibyllarum nomine passim vendita fuere, unum fuit aliquod, quod magnam aliquam felicitatem futuram promitteret, eiusque descriptionem ab iis, quae de seculo aureo memorassent poëtae, mutuaretur. Erat alia ab Etruscis profecta fama de octo seculis genti Etruscae datis, et de seculo nono inde a Sulla exorso, tum de decimo, periodi rerum, quae tum erat, fine. Conf. Censorin. c. 17. Plutarch. in Sulla pag. 456. Opinionis vestigium aliquod apud Serv. ad Ecl. IX. 47. est de noni seculi exitu et ingressu decimi. Erat alia de magno anno vertente e Platonicis et Stoicis petita opinio, quo omnium rerum ἀνακύκλωσις et ἀποκατάστασις esset futura, tum alia de magno Rege venturo fama; vid. Suet. Aug. 94. quae iterum sub Nerone increbuit; Suet. Vespas. 4. solet enim eiusmodi superstitio vulgo variis modis circumferri, inflecti, variari. Quascunque autem in hoc genere descriptiones novae felicitatis habemus, sive in Orientis sive in Graecis ac Romanis poëtis, omnes fere inter se similes sunt: bestiae ac ferae cicures, serpentes innocui, fruges nullo cultu enatae, mare placidum, Dii praesentes in terris aliaque eiusmodi in omnibus memorantur. Nullum in his phantasma est, quod non mens humana magno metu contacta concipere possit, si ad vitae simplicitatem, a pestibus et malis magnarum urbium et magnorum imperiorum liberatam, cogitatione se retulerit. Haec eadem aetatis aureae, seculi Saturnii, bona constituunt. Translata ea partim ad Elysium, et ad Hyperboreos, ac similia commenta.

Hoc itaque oraculo et vaticinio seu commento ingenioso Virgilius commode usus esse, et, quae de aetate aurea, inprimis ab Hesiodo, memorantur, ad ea tempora, in quibus hanc Eclogam scriberet, et ad pueri, circa id tempus nascituri, natales, quasi cum iis aetas aurea initium habitura sit, transtulisse videri debet. In quo aliquid sumi a viris doctis video, quod omnino necesse esse non video: volunt enim puerum nascturum novi rerum ordinis *auctorem*, certe pignus, a poë-

ta pronuntiari; quod ita se non habet. Tempora felicia ait esse successura, eorumque initium natalibus pueri ita assignat, ut cum vitae humanae gradibus ea incrementa habitura esse ostendat. Potest ita novi seculi felicitas, ex pace Brundusina ducta, simpliciter, tanquam epochae, alligari natalibus pueri, qui tum exspectabantur. Fuit enim annus U. C. 714. Coss. C. Asinio Pollione et Cn. Domitio Calvino, ut ex v. 11. 12. patet. Eo itaque anno, post summos, ne bellum civile inter Octavianum et M. Antonium, qui ex Asia cum copiis in Italiam traiecerat, recrudesceret, metus, Maecenatis et Pollionis opera Brundisii pax composita fuit, cuius quasi pignus Octavia, Octaviani soror, Antonio in matrimonium tradita est. Erat ea ex priore marito, Marcello, gravida, id quod disertis verbis Dio memorat, lib. XLVIII. c. 31. infantem illum M. Marcellum, generum mox Augusti, de quo Aen. VI. locus nobilis est, fuisse putant: an omni dubitatione maius hoc sit, non cum Catroeo, qui sublectam hanc Badio Ascensio aliisque rationem tanquam a se profectam mirifica vanitate iactat, decidere ausim; sunt enim, quae contra moneri possint. Sed, cum ea pace confirmata tandem publica tranquillitas videretur, satis commode Virgilius hunc tanquam fundum sui carminis facere potuit, ut ex eo tempore, rerum fortuna in melius mutata, auream aetatem esse reversuram diceret, eamque sententiam iis omnibus exornaret, quae a poëtis de felicitate eius aetatis commemorari solent. An Saturnaliorum dies inter ea commemorandi sint, quibus poëta in rem suam usus sit, paulo longius petita est coniectura. Haec quidem, quamquam difficultatibus ea suis laborare non ignoro, inter alia parum probanda, saltem aliqua cum veri specie dici videntur. In difficultatibus tamen est inprimis haec, quod puer ex Octavia suscipiendus, non ex novo sed ex pristino matrimonio erat nasciturus; ut adeo non appareat, quanta spes ex huius pueri natalibus de felicitate publica concipi potuerit: maior erat spes ex Octaviae prudentia, si Antonium in officio retineret.

Aliam magnae exspectationis prolem eidem anno assignari posse viderunt alii viri docti, inque his Nauzeus (Mém. de l'Acad. des Inscript. Tom. XXXI.) et iam ante eum vir doctus (Boulacre in Bibliotheque Françoise Tom. XXVIII. pag. 243. accessit quoque nuper Sam.

Henley, vir elegantis ingenii, in libello mox commemorando) ex nuptiis Octaviani cum Scribonia, quacum tamen anno sequente divortium fecit, suscepta ex ea Iulia. Duxerat eam Caesar initio anni, quo Pollio Cos. erat, eamque sub anni exitum, quo pax Brundusina facta est, partui vicinam fuisse, ex eo intelligitur, quod Iulia sub anni sequentis initium nata est. Cum in exspectatione esset Roma, quam prolem Scribonia editura esset, quippe uxor Caesaris, Triumviri iam tum Lepidi et Antonii praevalentis opibus, potuit Virgilius filium ominari et meliorem inde rerum conditionem augurari; etsi de Augusto rerum domino nondum illo anno quisquam cogitare poterat.

Errat inter duo hos partus interpretatio, cum uterque habeat, quod iudicium inclinare possit. Quod Pollioni inscripta est Ecloga, pro priore opinione facit, quandoquidem inter eos fuit, per quos pax Brundusina fuit composita: missus erat ab Antonio, cui fuit familiaris et studiosissimus: ex nuptiis adeo eius cum Octavia haud parum laetam spem concipere debuit. Nec obstat, quod idem Pollio mox iterum in Antonii partibus fuit: est enim res ex eius anni, quo pax facta est, actis dispicienda.

Iam quod ad Pollionis filium, Saloninum, vulgo e Servianis commentis ad v. 11. (idque ceteris doctius persecutus est Boecler. Diss. Acad. Tom. II. pag. 388.) aut ad Salonini fratrem, C. Asinium Gallum, ex alio istis commentariis adsuto panno ad v. 11. res refertur, non magis fide historica nititur: nam Pollioni puerum illo anno natum esse ignoramus. Esset adeo hoc, inferre aliquid de suo in poëtam, et tum ex eo, quod intulimus, probationes petere. In Drusum incidisse virum doctum video in Comment. Trevolt. 1703. pag. 7. id vero temporum rerumque rationibus repugnat. Cf. Ruaeus pr. huius Eclogae. Multo vero molestiorem et nulla ope tuendam rationem proposuit Vignolius (in Biblioth. Germ. Tom. XXXV. pag. 173. seqq.) qui hanc Eclogam in annum 730. coniecit, ut tamen v. 11. de M. Tullio Cicerone, M. F. Consule suffecto 724. accipiat, et *Tullio* pro *Pollio* legat, et ad magnae aerae Alexandrinae initium, quod a magni cycli canicularis, qui est 1461. annorum, decimo quarto seculo procedebat, retulit: quae sententia cum hactenus speciosa sit, ut valde probabile fiat, poëtam ad magnam

istam aeram, quae pro *revolutione magni anni* et *ἀποκαταστάσει* omnium rerum habebatur, respexisse? (conf. des Vignoles Chronologie de l'Hist. Sainte Tom. II. pag. 710. seq.) in annum tamen memoratum 730. reiici ipsa Ecloga non potest, nisi perquam contorte et adversa rerum verborumque omni natura, ut probare eam rem Burmannum potuisse mirer. Enimvero quorsum bonum otium contero in exponendis opinationibus et ariolationibus, in quibus nihil ad liquidum perduci potest!

Quid autem, si ne locus quidem ariolationi est, quis puer ille fuerit, quem Maro nascentem memorat? Potest enim ille nihil aliud voluisse, quam, calamitosis bellorum civilium temporibus successura nunc esse tempora laetiora; quae *εὐφαντασιώδης* poëta per aetates mythicas declarat; cum autem funestum hoc et ferreum seculum non protinus mutari posset in aureum, inversa ratione per gradus res ad seculum aureum adducenda fuit. Cum porro melior rerum conditio esse nequeat, nisi homines meliores deterioribus successerint; eam rationem ingressus esse putari potest, ut *novam progeniem* prodituram esse dicat: haec progenies ut primordia sua habeat necesse est; deflexit itaque orationem ad *puerum* illum, *qui primus in huius seculi auspiciis est nasciturus.* Nunc succurrebat vaticinium illud vulgatum de Rege seu heroë venturo, seu nascituro. Puerum illum *διογενῆ*, iam herois nomine et loco recte impertiit; potuere quoque Iovis pueri incunabula animo poëtae insidere; recte quoque *patrias virtutes* commemorat, natus enim ille puer est a Deo aliquo, tanquam heros. Manent quidem vel sic in figmento hoc nonnulla obscura nec satis commode inventa; verum probe arrogantem esse necesse foret eum, qui hoc sibi sumeret, aut sibi satis confideret, ut omnia a se expedita in hoc carmine esse pronuntiet; ipsa enim res, vaticinii indoles et lex, enuntiationis modus per mythica ornamenta, omnem conatum sufflaminant.

Non Oraculum Sibyllae sed Hesiodi quatuor aetates a Marone respici contendebat Fabricius in Bibl. Gr. Tom. I. 31. 19. Fuere tamen huius generis et vatum et poëtarum lusus multi alii. In ipso quoque Hesiodo non satis aperta est aetatum ratio, loco forte interpolato. De obscuritate carminis perperam conqueruntur homines docti, quandoquidem hoc ipsum ad vaticinii indolem perti-

net, ut per ambages obscurata sit oratio. Tum vero singulos versus ad singulare aliquod istorum temporum factum revocare velle, non minus inane studium est, quam quod interpretes oraculorum sacrorum sequi videas, cum singula phantasmata vatum, tanquam si in annalibus Taciti alicuius versentur, inter ipsas res gestas referunt, et poëtica ornamenta ad factorum fidem explorant. Etiam Lowthius Praelect. XXI. erudite de hac Ecloga agit, eamque omnino expediri posse negat, nec multum abest, quin sibi persuadeat, non sine veri Dei afflatu eam scriptam esse: contra quam sententiam disputatum est nuper singulari libello a viro docto, Sam. Henley. Si quis tamen animo reputet, aliorum quoque populorum, praeter Iudaeos, vates et vaticinia olim fuisse permagno numero; eorum porro vatum ingenia non minus incaluisse phantasmatibus et visis poëticis, seu poëticum ornatum admittentibus; quotiesque in eodem argumento seu calamitatum praedicendarum seu felicitatis publicae privataeque ostendendae versarentur, necessario in eadem rerum phantasmata eos incidere debuisse: non adeo mirabitur, adumbratas esse in hoc carmine, ut in tot aliis, rerum species ac formas ex aetate aurea iisque similes, quae in Hebraicis vatibus occurrunt; ut illud taceam, in magno illo Sibyllinorum oraculorum numero, quem paulo ante vidimus, multa esse debuisse a Syris et Iudaeis hominibus propagata. Noluere viri docti hanc Eclogam inter Bucolica referri: quae res omnino ex carminis Bucolici notione ac definitione diiudicanda est. Illud notari debet, etsi argumentum ex ipsa vita rustica petitum dici nequeat, ita tamen illud esse tractatum, ut sententiae et imagines rerum sive ab ea vita sive a vita antiquissimorum hominum arcessitae sint. Imitatione magnam partem expressit Calpurnius Ecl. I. 36. seqq.

ECLOG. V.

Convenerant Mopsus et Menalcas, pastores, ille fistula, hic cantu excellens, et se ad canendum mutuo invitant 1–19. Postquam sub antrum concesserant, prior Mopsus 20–44. Daphnidis mortem luget; inde Menalcas succedens 56–80. eiusdem Daphnidis tanquam Diis adscripti laudes persequitur. Mutuis hinc sibi muneribus datis disce-

dunt. Etiam in huius Eclogae allegoria exsculpenda molesti fuere interpretes. In Daphnide plerique Iulium Caesarem, eiusque necem et apotheosin, nonnulli, iam ex antiquioribus, Maronis fratrem Flaccum, mox etiam Quinctilium Cremonensem, sive etiam Quinctilium Varum, item Saloninum, Pollionis filium, quaesiverunt; ut Catroei aliorumque somnia taceam. Quod si altiorem, quam verborum ratio fert, sententiam quaerendam putes, ad Caesarem ut putes poëtam respexisse, feram equidem; modo non singula allegorice interpretari ausis; quandoquidem illud saltem non incommode fieri potest; quod tamen cogat nos, nihil inest; inferre autem de suo aliquid alieni, quod non in ipso carmine habetur, non est boni interpretis, cui satis esse debet, elicere ea, quae in carmine sunt, non ea, quae sunt extra carmen, inferre. Si carmen animo ab opinione vacuo et intacto legimus, nihil aliud poëta spectasse videri potest, quam ut Theocritei Idyllii I. et XIX. imitationem institueret, et, ut Ecloga tertia duos pastores a conviciis ad cantum progressos, ita h. l. idque paulo elegantius, duo alios pastores a mutuis laudibus ad cantus certamen procedentes induceret. Carminis argumentum sunt *Daphnidis laudes*, nobile haud dubie in vetustis carminibus pastoritiis argumentum, ut ex nonnullis Theocriti, inprimis Idyll. I. et VII. 73. seq. locis apparet. Fuit ille in herois loco inter pastores habitus; cantu ille nobilis et a Nympha amatus; hique eius amores, fata, et mors pastoritiis carminibus celebrata et multis modis variata. Vid. de eo Servius ad Ecl. VIII. 68. Diodor. IV. 84. et Aelian. V. H. X. 18. H. An. XI. 13. et ibi Interpp. Schol. Theocrit. Id. VIII. f. et primo loco Parthen. c. 29. ex Timaeo. Conf. Silius Ital. XIV. 466. seqq. Ovid. IV. Met. 276-278. et ibi Interpp. Dorvill. Sicula pag. 27. seq. Epigr. in Analectis Tom. I. pag. 15. et Tom. III. pag. 123. Noster vero poëta argumentum pastoritium heroico generi propius admovit, idque ita tractavit, ornavit et amplificavit, ut generosum poëtae epici spiritum facile in eo agnoscas; quamquam singulae rerum imagines et characteres ex antiquissimorum carminum indole et colore ducti sunt. Locus, in quo se conveniunt pastores, statim ab initio magna cum suavitate describitur: successerant antro agrestis viris palmitibus obducto. Carmen ad annum 712. re-

ferri solet. Imitatione secutus est hanc Eclogam Popius Pastor. IV. quem nascentes poëtae cum ea contendent.

ECLOG. VI.

Exordio praemisso poëta se, parum felicitèr tentato carmine epico, redire ait ad carmen bucolicum; Vari tamen laudibus celebrandis et hoc haud impar fore 1-12. Inde narrat, duo Satyros cum Nympha Aegle Silenum iacentem aggressos adegisse, ut sibi carmen caneret - 30. Exponit inde summatim poëta 31-63. carminis argumentum, quod mythicum est: attigerat Silenus fabulas prima e cosmogonia 31-40. inde alias, promiscue memoratas, inter quas copiosius exponit Pasiphaës infaustum amorem tauri 45-60. qui cur eum potissimum detinuerit si quaeras, causam idoneam non reperio, praeter lubitum poëtae. Repente inde ad Gallum carmen deducitur, et ad eius laudem poëticam et carmina inchoata 64-73. Tum iterum ad fabulas redit 84. Vespere ingruente facit Silenus finem canendi 85. 86.

Felix in huius Eclogae argumento et eius tractatione fuit poëta. Iucundissimis enim, dulcissimis, ac pulcherrimis rerum imaginibus omnis haec narratio distincta est, qua Silenus ex antiquissimorum poëtarum ac philosophorum rationibus originem rerum canit, atque inde per fabulas ornatum poëticum maxime admittentes vagatur. Non enim, quare cum Grammaticis, qui Syronem hunc vocant, (de quo vid. ad Pseudodonat. s. 79.) ad Epicuri potissimum placita v. 31. seqq. referam, video; quid? quod quatuor elementa, e quibus universum ibi construitur, quae ad Empedocleam rationem pertinent, ab Epicureorum principe Lucretio exagitantur I. 717. et nititur tota de Virgilio Epicureae philosophiae sectatore fabula fide Pseudodonati et Servii, aut potius vanissimorum hominum, qui nomina ista sunt mentiti. Fuit autem antiquissima aliqua reconditior fabula de Sileni philosophia et super res naturales et ethicas disputationibus: neque vanum est, quod Servio insertum est ad v. 13. *Sane hoc de Sileno non dicitur fictum a Virgilio, sed a Theopompo translatum. Is enim apprehensum Silenum a Midae regis pastoribus dicit crapula madentem et ex ea soporatum: illos dolo aggressos dormientem vinxisse, postea vinculis sponte labentibus liberatum de rebus naturalibus et anti-*

quis Midae interroganti respondisse. Locus fuit hac de re classicus in Theopompi Thaumasiis: unde excerpta particula apud Aelian. Var. Hist. III. 18. ubi vid. Interpp. et quos laudant. Apposita ibi narratio Sophista aliquo dignior de terra Meropide in Oceano sita mythice exornata. Antiquior tamen et ex domesticis Phrygum de Mida fabulis ducta mythi auctoritas fuit; saltem Pindari, (Fragm. CLII.) nam, quod ille Silenum cum Olympo confabulantem induxit, coniunctum cum illo fuit; est enim Olympus Marsyae Phrygis alumnus. Vocem inde ἐφήμερος pro homine laudat Schol. Aristoph. Nub. 223. et ex eo Suidas: (in Pindaro esse debuit ὦ τάλας ἐπάμερε etc.) Servata ex dictis illis sententia: *non nasci homini longe optimum esse, proximum autem, quam primum mori* Cic. Tusc. I. 48. unde habet Lactant. Inst. III. 19. Ex Plutarch. Consolat. ad Apollon. pag. 115. discimus, Aristotelem in Eudemo haec latius exposuisse, unde ibid. D. Δαίμονος ἐπιπόνου καὶ τύχης χαλεπῆς ἐφήμερον σπέρμα, τί με βιάζεσθε λέγειν ἃ ὑμῖν ἄρειον μὴ γνῶναι. Memorabile autem hoc, quod Silenus nunc inter canentes Deos habetur. Quod eum vinciunt, ut cogant canere, Satyri, a furore vaticinantium petitum esse putabimus, quem detrectabant vates, ut vel de Pythia notum. Catroeus, et post eum Martynus et Wartonus, qui Anglicis versibus Eclogas reddidit, si quaeritur, quorsum physicis placitis fabulae istae a v. 43. seqq. subiectae sint, rationem comminiscuntur satis subtilem, tradi scilicet non minus moralem quam naturalem Epicureorum philosophiam, qua revocentur inprimis a cupiditatibus et immoderatis animi perturbationibus homines: haec autem praecepta, ut decebat poëtam, expressa esse fabulis de turpi amore Herculis et Pasiphaës, de superbia Proetidum, avaritia Atalantae et immodico luctu Phaëthontiadum sororum. Sed Virgilium eas tantum fabulas secutum esse apparet, quae et frequentatissimae in veterum carminibus essent, et ornatum poëticum inprimis admitterent. Itaque alias disertius exponit, aliarum nonnisi argumenta commemorat, et delectationi adeo studet, ut inter antiquas illas fabulas Galli sui meminerit; loco parum idoneo, nisi versus transponere placuerit, ut 74–81. retrahantur ante 64. Formam et colorem ab hoc carmine ducebat Gesnerus elegantissimus poëta, cum *Cantharum fractum* scriberet, sed nollemus eum carminis gravitatem ad rem levissi-

mam deflexisse; quo ipso omnis voluptatis fructus interceptus est.

ECLOG. VII.

Meliboeus pastor narrat, se, cum aberrantem caprum quaerebat, in Corydonem et Thyrsidem incidisse, qui, assidente Daphnide, cantu erant decertaturi: obtemperasse se Daphnidis hortatibus, ut ipse assideret et cantantes audiret - 20. Inde Corydon primas, Thyrsis secundas, partes carmine amoebaeo ita sustinent, ut, quemadmodum Ecl. III. distichis, sic nunc tetrastichis, seu quaternis versibus, comprehensa carmina decantent, sena uterque, Corydon diversi quaeque argumenti exorsus, Thyrsis, aut similia ac paria aut contraria afferendo. Habet adeo carmen nonnihil ex dramatico genere, quo ipso maiorem delectationem facit. Locus, in quo consederant, est sub umbrosa quercu a favonio leviter agitata, inter apum susurrus, in vicinia Mincii fluvii, et quidem ea parte, qua armenta potum ducebantur. Etiam in hoc carmine putidum esset referre allegorias, quas commenti sunt interpretes, cum haud dubie nihil aliud spectarit poëta, quam ut ad Theocritei Idyllii VI. imitationem illud carminis amoebaei genus exprimeret, quod narratione alicuius pastoris, qui interfuerat certamini, continetur. Nec omnino magnam inventi laudem Maro habet in hoc carmine. Nova arte ac varietate expressit Eclogam Gesnerus in *Lyca et Milone*. Propert. II. Eleg. extr. 67. hoc carmen respicit: *Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi Thyrsin et attritis Daphnin arundinibus*. Non quasi Maronem narret haec in agro Tarentino cecinisse; verum paulo argutius respectu ad Georg. IV. 126. habito, ubi illorum locorum amoenitatem praedicat Maro.

ECLOG. VIII.

Duorum pastorum carmina, alterum ex Theocriti Idyll. III. alterum ex Idyll. II. expressa, recitantur a poëta, tanquam qui ea audierit v. 1 - 5. 62. 63. In Damonis carmine 17 - 61. gravis dolor et aegritudo alicuius pastoris, cui Nisa, amata puella, Mopsum rivalem praetulerat, praeclare exponitur; in Alphesiboei carmine 64. ad fin. mulier Daphnin, amantem suum, a quo se desertam esse putabat, incantationibus magicis ad se revocat. Putandi enim hi sunt

esse lusus utriusque pastoris, qui amores aliorum commemorant, non suos. Utrumque carmen per se sibi constat, nec vinculo ullo ea tenentur, nisi quod a binis pastoribus recitantur, qui inter se certasse videntur, si proprie dixit poëta v. 62. *responderit*. Artem et spiritum poëtae in neutro desideres. Nam ipsa incantationis magicae descriptio non abhorrens ab hoc poëtices genere argumentum videri debet: recte enim et ex natura nostra, quandoquidem agrorum et silvarum solitudine mire affici animi nostri et ad religionem componi solent, pastoribus proclivius paulo et pronius in superstitiones et magicas rationes ingenium tribuitur. Inscripta vero, quod primus Scaliger ad Euseb. Chron. 2020. docuit, est Ecloga Asinio Pollioni v. 6 - 13. qui tum in Illyricum exercitum ducebat, et iam sive pedestri itinere Istriam emensus erat, sive maris Illyrici oram legebat, ut ad Parthinos perveniret, qui versus Macedonicos fines non longe a Dyrrhachio sedes habuere; vid. Appian. pag. 1135. extr. Dio XLI. c. 49. ibique Reimar. item Pigh. Annal. ad 714. Ad extrema enim huius anni, quo Pollio consulatum gesserat, referenda esse res videtur; nam sequenti anno VIII. Kal. Nov. triumphum de Parthinis habuit. Catroei argutias veteremque opinionem, qua ad Octavianum carmen hoc spectare memoratur, operose refellit Burm. ad v. 6. Conf. Martyn. Ceterum comparari velim cum hoc carmine Popii Pastor. III.

ECLOG. IX.

Ad urbem Mantuam haedulos deportanti Moeri, villico, (qui homines et ipsi servi erant, vid. Eclog. I. 28. Cic. Verr. III. 50.) adiungit se in itinere Lycidas, aetate florente pastor et carminum studio flagrans; a quo viae causam rogatus Moeris calamitates suas, dominique, Menalcae, iniurias ac pericula inter eundum, id quod aliquantum iucunditatis habet, commemorat: cumque sermo ad Menalcae carmina deductus esset, recitat uterque nonnulla ex iis fragmenta ac locos, qui fere ex Theocrito conversi sunt, uti tota carminis forma ex eius Idyllio septimo ducta est. Totum carmen ad certum poëtae consilium compositum, eiusque, sub Menalcae nomine, fortunam ac temporum calamitatem in eo adumbratam esse, manifestum fit. Iam Servius porro haec narrat: *Virgilius*,

postquam paene occisus est ab Arrio centurione, cuius in se strictum gladium ut effugeret, in Mincium fl. se praecipitaverat, (vid. eund. ad III. 94.) *Romam revertens mandavit procuratoribus suis, ut tuerentur agros suos et ad praesens obsequerentur Arrio. Modo ergo Moeris, procurator eius, secundum praeceptum patroni, portat haedos Mantuam, quos Arrio offerat.* Quae res cum per se non improbabilis sit; effrenis enim libido et insolentia militum in colonias deductorum erga possessores agrorum, quos ipsi affectabant, fuisse memoratur; vid. Appian. Civil. V. 12. 13. apud eundem tamen mox alia narratio de Clodio attexitur, qua et superioris fides infringitur. Haec ipsa a recentioribus interpretibus multo etiam magis exornata videas. Inspice modo Catroeum et Ruaeum. Ex ipso carmine haec saltem confirmantur: scriptum id esse eo anno, quo agri Cremonenses ac Mantuani inter Veteranos divisi essent, U. C. 713. adeoque paulo post primam Eclogam; Virgilii fortunam sub Menalcae persona adumbrari; hunc quidem causam habuisse, in largitione ista agraria agros suos sibi relictum iri, ut crederet; atque ita vulgo creditum fuisse; eius rei spem ac fidem carminum gratiam fecisse, v. 6–10. fuisse tamen illum possessionibus suis eiectum, neque id sine magno periculo, v. 15. 16. Carmina ipsa, quae intexta sunt, numero quatuor, sunt partim e Theocrito versa, partim ad temporum conditionem accommodata, v. 46. seq. Lycidae pueri studium et cupiditas audiendi delectat 56. seqq. Omnino carmen spiritum Maronis et dignitatem epicam prodit; etsi in summa argumenti equidem non multum ingenii agnoscam.

ECLOG. X.

C. Cornelius Gallus amicam Lycoridem habuit, quam etiam elegis celebravit, saepe a Propertio, Ovidio, Martiale, aliisque laudatis; Servius adeo ad v. 1. huius Eclogae et Donatus Vita §. 38. libros eius quatuor fuisse Amorum memorant, sub Lycoridis nomine editos; conf. Pompon. Sab. Is a perfida amica desertus, magno dolore oppressus, in hoc carmine tanquam pastor aliquis in Arcadiae montibus ac silvis, sub antro aliquo proiectus, amores suos deflere fingitur. Obiurgat poëta Naïdas, quod solae non adfuerint Gallo amoris curis confecto 8–12. cum tamen amoris et miserationis affectum testatae ei

sint ipsae inanimatae res, arbores et saxa 13-15. tum greges cum pastoribus 16-20. Miserandi et consolandi causa accessere ipsi Dii: Apollo 21-23. Silvanus 24. 25. Pan 26-30. Tum Gallus, in lamenta et questus erumpens, suam sortem et infaustum amorem conqueritur; malle se pastoris vitam agere 31-43. Nunc in castris versari amicam in Gallias profectam 44-49. Videtur tamen vel sic sibi repente in rus migrasse et aliis curis amoris tormenta levare 50-61. sed amoris mox impatientia victus nulla inde solatia exspectat 62-69. Praemittitur exordium poëtae, cum epilogo, quo singularem Galli amorem testatum facit. Habet hoc carmen miram artem ac suavitatem; primum in eo, quod omnia, ad maiorem Galli dignitatem, non modo ad vitam pastoritiam, sed ad tempora heroica, in quibus permixti mortalibus Dii viverent, relata et ex sensibus et opinionibus istorum seculorum adumbrata sunt; quare etiam ferre debemus, si quae paulo altiore ac graviore spiritu hic dicta reperiamus; deinde vero quoniam impotentis et spreti amoris aestus ille ac furor, in omnes partes animum rapiens, ipsum legentis animum commovere videtur; quamquam hac in parte Theocriti vestigiis institit, Idyll. I. unde, quae de Daphnide dicta erant, in Gallum transtulit, ut multa tantum latinis verbis reddiderit, in aliis autem cum eo certaverit; universe vero a simplicitate et venustate pastoritii carminis et Theocritea suavitate in plerisque recesserit.

Iam de *Lycoride* addunt Interpretes Servio duce: fuisse eius verum nomen *Cytheridem*, et esse eam eandem cum Antonii amica illa, mima, ex Ciceronis Philipp. II. 24. 25. ad Attic. X. 10. et 16. ad Div. IX. 26. conf. Plutarch. Vita Antonii pag. 74. ed. Brian. Plin. VIII. 16. infami, cuius nomen verum fuit *Volumnia*, quoniam Volumnii Eutrapeli liberta esset. Quod cum ferri possit; illud alterum, quod, de temporum ratione securi, contendunt ex Servio ad v. 1. eam propterea Gallum destituisse, quod Antonium ad Gallias euntem secuta esset, quo v. 22. seqq. 46. seqq. referunt, fidem non habet. Nam primum Antonius Cytheridem iam ante 709. dimiserat; adeoque ante id tempus, quo haec post reliquas omnes Ecloga scribi potuit; ea enim de re iam Ciceronis Philipp. II. 28. §. 69. locus est. Decima autem haec Ecloga ante 717. vix

scripta est, ut paulo post videbimus. Deinde vero iis annis, quibus haec Ecloga scripta esse potest, Antonius in Oriente, non in Gallia, fuit. Quae omnia docte demonstravit Martyn ad v. 22. Neque ferri potest doctiss. Morgagni (Opusc. miscell. Tom. III. epist. Aemil. pr.) sententia, qui cum Servium amplecteretur, et Antonii in Gallias profectionem aliquam circumspiceret, illam arripuit, cum Quaesturam Romae petiisset, et inde ad Caesarem, qui tum in Galliis bellum gerebat, rediret, quae res ad annum 702. Pompeio Cos. sine collega referenda esset; quod fieri non potest, si Ecloga haec ultimo loco scripta est, ut versus primus declarat. Fontaninus in Hist. litt. Aquilei. pag. 28. de fuga Antonii intelligit, cum ad Mutinam 711. victus in Galliam ulteriorem se recipere ret, et M. Aemilium Lepidum sibi iungeret. Sed ut alia ne memorem, neque tum quidquam ad Rhenum gestum, quem memorat poëta v. 45. Enimvero non nisi anno 717. U. C. ineunte, M. Agrippa, L. Caninio Gallo Coss. ab Agrippa Cos. exercitus Romanus in Gallias ductus Rhenum transiit; vid. Dio XLVIII. 49. conf. Martyn ad hanc Eclog. cum quo exercitu Lycoris militem aliquem sequi potuit, dum interea Gallus sub Augusto ad Pompeianas classes ab Italiae litoribus arcendas in armis esset, aut in alia expeditione versaretur. Ita expedita est sententia versuum: *Tu procul a patria — Alpinas ah dura nives et frigora Rheni Me sine sola vides.*

ARGUMENTUM

GEORGICORUM.

Lib. I. *Georgica*, seu de *re rustica* praecepta, arationem, arborum, inprimis vitium et olearum, culturam, pastionem et mellificium, e Romanorum notione complectuntur. Ordinem dicendorum ducit *Propositio* et *argumentum*

operis v. 1-5. Inde *Invocatio* numinum agrestium cum ipso Caesare Augusto — 42. Nunc de *prima* operis rustici parte, quae est de *Aratione:* primo quidem *quando* illa incipienda sit — 49. Ante omnia *coeli solique natura* est exploranda — 63. unde *leges culturae diversae* proficiscuntur, inprimis *arationis* — 99. et *sationis* — 121. Cum in his multum laboris et aerumnae tolerandum sit, digreditur ad *causas* huius rei *mythicas* inde a Saturni aetate — 159. Inde de *instrumento rustico* — 175. tum de *aliis ad opus rusticum faciendum curandis*, in his de area ad terenda grana paranda — 186. Iudicium de futuro anni proventu unde facere liceat — 192. de semine medicando — 196. de seminum dilectu faciendo — 203. Sequitur locus *de temporibus operum rusticorum* diserte tractatus. Tempus sationis — 230. *Digressio* de solis cursu annuo et quatuor anni tempestatibus — 256. Quae curanda sint tempore pluvio — 267. diebus festis — 275. Dierum lunarium, qui fausti vel infausti sint, observatio — 286. nonnulla noctu melius tractanda — 296. alia per calorem aëris — 299. alia hieme — 310. Parat sic sibi viam ad duas *anni tempestates* poëtica arte describendas, alteram *auctumni*, alteram *veris ineuntis*, utramque *procellosam;* observanda itaque esse earum tempora — 337. et religionibus Deos exorandos — 350. Esse etiam certa tempestatum per vices succedentium *prognostica*. In his exponendis et ornandis copiosus est poëta — 463. Multo ornatius est episodium, ad quod aditum sibi struxit, de *prodigiis* Iulii Caesaris nece facta bellum civile subsecutum portendentibus — 497. Subiunguntur *vota* pro Augusto — ad fin.

Lib. II. Propositio cum invocatione Bacchi 1-8. De *arborum* inprimisque vitium et olearum *cultura* acturus, primo loco varios arborum proventus, alios a natura alios ab arte profectos, exponit. Aliae itaque arbores sponte nascuntur — 21. aliae arte parantur: et quidem avulsione — 23. infossione 24. 25. propagine 26. 27. surculo 28. 29. concisione 30. 31. insitione 32. 33. 34. Nunc edocturus, studium esse adhibendum et suam cuique arbori pro generis et soli natura culturam; Maecenatis propitiam voluntatem implorat — 46. Arbores, quae sponte proveniunt, cultu emendari possunt — 56. quae satu nascuntur, feliciora habent incrementa transplatatione, et aliis artificialis culturae generibus — 72. inprimis inocula-

tione et insitione proprie dicta — 82. Deligendae quoque arborum eiusdem generis species praestantiores — 108. Coelum porro cuiusque arboris naturae idoneum est circumspiciendum; nam magna in hoc est varietas — 135. et sic aditum sibi parat ad laudes Italiae, omnium rerum proventu felicissimae — 176. tandem soli natura est exploranda, cui proventus generi illa conveniat — 225. subiiciuntur criteria soli cognoscendi et iudicandi — 258. et viae ac rationes soli tractandi et naturae eius emendandae, adeoque ipsa cultura cum omnino arborum, tum inprimis vitium. Scilicet primo docentur quae in plantatione observanda sint — 314. etiam de tempore plantationis faciendae — 345. de cura post illam adhibenda, inque hac de putatione (362-370.) et de avertendis iis, quae nocere possunt novellis arboribus (371-379.) cumque in his caper sit, excurrit in morem mactandi hirci in Bacchi sacro — 396. In vitibus tamen inprimis assidua est cura per totum annum adhibenda — 419. Minus operosa est olearum cultura — 425. et pomorum — 428. exigua aut omnino nulla sativarum arborum — 457. Inde excursus in laudes vitae rusticae, pars carminis felicissima — ad fin.

Lib. III. Orditur poëta librum ab expositione argumenti 1. 2. tractare se argumentum ab aliis intactum, unde novam laudem Mantuae suae sit paraturus — 39. Inde favorem ac studium Maecenatis sibi expetit — 48. Procedit praeceptio a fetura armentorum. Legendae primo loco bonae matres: notae bonarum vaccarum — 62. admissura ita curanda, ut et bos et taurus in iuventa constituti sint — 71. Notae equi generosi et ad admissuram idonei — 122. Tum ea, quae ante admissuram sunt curanda — 137. Cura matrum gravidarum — 156. Cura vitulorum — 178. Cura pullorum equinorum — 208. inprimis arcendi illi a nimia Venere: inter quae locum de Veneris stimulantis furore persequitur — 282. Post curam armentorum progreditur ad curam pecudum, cum praefatione super difficultate argumenti cum dignitate pertractandi — 294. Primo de ea cura, quae ad pecudes in stabulis habendas spectat — 321. tum de pastione vere orto, cum excursione in narrationem de Nomadibus Afris et Scythis — 383. praecepta de studio lanarum — 393. et lactis — 403. Cura canum — 412. Monita de cavendis animantibus noxiis —

439. et de avertendis morbis — 473. Ita aditum sibi parat ad locum de peste auctumnali armentorum ac gregum nobilissimum — ad fin.

Lib. IV. De re apiaria et mellificio in hoc libro acturus, primo loco exponit argumentum, Maecenatisque propitiam voluntatem sibi exorat 1 - 7. Inde de alvearii situ, fabrica, et apparatu praecipit — 50. tum de examinum exeuntium cura, seu vere ineunte vagantur — 66. seu ad pugnam exeunt discordibus inter se voluntatibus super rege creando — 87. Tum alteruter rex est necandus — 102. aut, si temere vagantur apes, partim regibus alae sunt resecandae, partim gratae herbae circa alveare serendae — 115. Cum attingeret locum de horto colendo, hoc argumentum aliis tractandum reliquit — 148. De ingeniis, naturis, et moribus apum agit, revocata earum oeconomia, quam vocamus, ad reipublicae formam, quam enarrat — 218. tam sollerter institutam illam, ut rationis illae munere impertitae esse videantur — 227. Sequitur locus de exemtione favorum — 238. sin relinquatur pars favorum, quae tum curanda sint — 250. De morbis apum et morborum cura — 280. De examinis exstincti reparatione et de progeneratione apum ex iuvenco peremto et putrefacto — 311. Quod cum inventum Aristaei esse perhibeatur, descendit ad enarrationem fabulae: qua ille fertur exstincto examine adiisse matrem Cyrenen, ab hac iussus consulere Proteum de causis calamitatis et eiusdem remediis, edoctusque, evenisse sibi rem ob piaculum contractum ex Eurydices, Orphei coniugis, raptu, inferias ei fecisse; quo facto boum corpora in luco relicta paulo post examinibus novis efferbuere — ad fin.

P. VIRGILII MARONIS

BUCOLICA.

P. VIRGILII MARONIS
BUCOLICA.

TITYRUS.

ECLOGA I.

MELIBOEUS. TITYRUS.

MELIBOEUS.

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui Musam meditaris avena:
Nos patriae fines et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

TITYRUS.

O Meliboee, Deus nobis haec otia fecit.
Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.

MELIBOEUS.

Non equidem invideo; miror magis: undique totis
Usque adeo turbatur agris. En, ipse capellas
Protenus aeger ago: hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hîc inter densas corulos modo namque gemellos,

Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.
Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
De coelo tactas memini praedicere quercus:
[Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix.]
Sed tamen, iste Deus qui sit, da, Tityre, nobis.

TITYRUS.

Urbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
Stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
Pastores ovium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similis, sic matribus haedos,
Noram: sic parvis componere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbis,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

MELIBOEUS.

Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi? 27

TITYRUS.

Libertas: quae, sera, tamen respexit inertem;
Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen, et longo post tempore venit,
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculî.
Quamvis multa meis exiret victima saeptis,
Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

MELIBOEUS.

Mirabar, quid moesta Deos, Amarylli, vocares;
Cui pendere sua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta, vocabant.

TITYRUS.

Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam praesentis alibi cognoscere Divos.
Hîc illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hîc mihi responsum primus dedit ille petenti:
Pascite, ut ante, boves, pueri; submittite tauros.

MELIBOEUS.

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt!
Et tibi magna satis; quamvis lapis omnia nudus,
Limosoque palus obducat pascua iunco.
Non insueta gravis tentabunt pabula fetas;
Nec mala vicini pecoris contagia laedent.
Fortunate senex, hîc inter flumina nota,
Et fontis sacros, frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quae semper vicino ab limite saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras;
Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

TITYRUS.

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore piscis;
Ante, pererratis amborum finibus, exsul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim;
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

MELIBOEUS.

At nos hinc alii sitientis ibimus Afros:
Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxem,

Et penitus toto divisos orbe Britannos.
En, unquam patrios longo post tempore finis,
Pauperis et tugurî congestum cespite culmen,
Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas?
Impius haec tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? En, quo discordia civis
Produxit miseros! en, quîs consevimus agros!
Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vitis.
Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
Non ego vos posthac, viridi proiectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo:
Carmina nulla canam: non, me pascente, capellae,
Florentem cytisum et salices carpetis amaras.

TITYRUS.

Hîc tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
Fronde super viridi: sunt nobis mitia poma,
Castaneae molles, et pressi copia lactis;
Et iam summa procul villarum culmina fumant,
Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

ALEXIS.

ECLOGA II.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini; nec, quid speraret, habebat.
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Assidue veniebat; ibi haec incondita solus
Montibus et silvis studio iactabat inani:
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant;
Nunc viridis etiam occultant spineta lacertos;
Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
Allia serpyllumque herbas contundit olentis:
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius, tristes Amaryllidis iras
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.
O formose puer, nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec qui sim quaeris, Alexi;
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus agnae.
Lac mihi non aestate novum, non frigore defit.
Canto, quae solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Cum placidum ventis staret mare. Non ego Daphnin

Iudice te metuam, si nunquam fallat imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humilis habitare casas, et figere cervos,
Haedorumque gregem viridi compellere hibisco!
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera coniungere pluris
Instituit: Pan curat ovis, oviumque magistros.
Nec te poeniteat calamo trivisse labellum:
Haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum.
Dixit Damoetas: invidit stultus Amyntas.
Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera: quos tibi servo. 42
Iam pridem a me illos abducere Thestylis orat:
Et faciet; quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphae calathis: tibi candida Naïs,
Pallentis violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem iungit bene olentis anethi:
Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.
Addam cerea pruna; honos erit huic quoque pomo:
Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte:
Sic positae quoniam suavis miscetis odores.
Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis:
Nec, si muneribus certes, concedat Iollas.
Heu, heu, quid volui misero mihi! floribus austrum

Perditus, et liquidis immisi fontibus apros.
Quem fugis, ah demens? habitarunt Dî quoque silvas,
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit, arces
Ipsa colat: nobis placeant ante omnia silvae.
Torva leaena lupum sequitur: lupus ipse capellam:
Florentem cytisum sequitur lasciva capella:
Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Adspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci,
Et sol crescentis decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor: quis enim modus adsit amori?
Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem, potius quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere iunco.
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin.

PALAEMON.

ECLOGA III.

MENALCAS. DAMOETAS. PALAEMON.

MENALCAS.

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?

DAMOETAS.

Non; verum Aegonis: nuper mihi tradidit Aegon.

MENALCAS.

Infelix o semper, oves, pecus! ipse Neaeram
Dum fovet, ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,
Hic alienus oves custos bis mulget in hora:
Et succus pecori, et lac subducitur agnis.

DAMOETAS.

Parcius ista viris tamen obiicienda memento.
Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles Nymphae risere, sacello.

MENALCAS.

Tum, credo, cum me arbustum viderc Miconis
Atque mala vitis incidere falce novellas.

DAMOETAS.

Aut hîc ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos: quae tu, perverse Menalca,
Et, cum vidisti puero donata, dolebas;
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

MENALCAS.

Quid domini faciant, audent cum talia fures!
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et cum clamarem: Quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus! tu post carecta latebas.

DAMOETAS.

An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit: et mihi Damon
Ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.

MENALCAS.

Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera
Iuncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

DAMOETAS.

Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.

MENALCAS.

De grege non ausim quidquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater; est iniusta noverca:
Bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.
Verum, id quod multo tute ipse fatebere maius,
(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos edera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon: et quis fuit alter,

Descripsit radio totum qui gentibus orbem;
Tempora quae messor, quae curvus arator haberet?
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.

DAMOETAS.

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus acantho;
Orpheaque in medio posuit silvasque sequentis.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectas, nihil est, quod pocula laudes.

MENALCAS.

Nunquam hodie effugies: veniam, quocunque vocaris.
Audiat haec tantum, vel qui venit, ecce, Palaemon.
Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.

DAMOETAS.

Quin age, si quid habes, in me mora non erit ulla;
Nec quemquam fugio: tantum, vicine Palaemon, 53
Sensibus haec imis (res est non parva) reponas.

PALAEMON.

Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba;
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.
Incipe, Damoeta: tu deinde sequêre, Menalca.
Alternis dicetis: amant alterna Camoenae.

DAMOETAS.

Ab Iove principium Musae: Iovis omnia plena.
Ille colit terras: illi mea carmina curae.

MENALCAS.

Et me Phoebus amat: Phoebo sua semper apud me
Munera sunt, lauri, et suave rubens hyacinthus.

DAMOETAS.

Malo me Galatea petit, lasciva puella;
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.

MENALCAS.

At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas:
Notior ut iam sit canibus non Delia nostris.

DAMOETAS.

Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aëriae quo congessere palumbes.

MENALCAS.

Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi: cras altera mittam.

DAMOETAS.

O quoties, et quae nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam venti Divom referatis ad auris!

MENALCAS.

Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta;
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?

DAMOETAS.

Phyllida mitte mihi; meus est natalis, Iolla:
Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

MENALCAS.

Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit;
Et, Longum formose vale, vale, inquit, Iolla.

DAMOETAS.

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti; nobis Amaryllidis irae.

MENALCAS.

Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis,
Lenta salix feto pecori; mihi solus Amyntas.

DAMOETAS.

Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.

MENALCAS.

Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Iam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.

DAMOETAS.

Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet.
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

MENALCAS.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi;
Atque idem iungat vulpes, et mulgeat hircos.

DAMOETAS.

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

MENALCAS.

Parcite, oves, nimium procedere: non bene ripae
Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat.

DAMOETAS.

Tityre, pascentis a flumine reice capellas:
Ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.

MENALCAS.

Cogite ovis, pueri: si lac praeceperit aestus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

DAMOETAS.

Heu, heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!
Idem amor exitium pecori, pecorisque magistro.

MENALCAS.

His certe neque amor causa est: vix ossibus haerent.
Nescio quis, teneros oculus mihi fascinat agnos.

DAMOETAS.

Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tris pateat coeli spatium non amplius ulnas.

MENALCAS.

Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores; et Phyllida solus habeto.

PALAEMON.

Non nostrum inter vos tantas componere litis:
Et vitula tu dignus, et hic. At quisquis amores
Aut metuat dulcis, aut experietur amaros!
Claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.

POLLIO.

ECLOGA IV.

Sicelides Musae, paulo maiora canamus;
Non omnis arbusta iuvant, humilesque myricae:
Si canimus silvas, silvae sint Consule dignae.
Ultima Cumaei venit iam carminis aetas:
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Iam redit et Virgo: redeunt Saturnia regna:
Iam nova progenies coelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc aevi, te Consule, inibit,
Pollio; et incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis;
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Errantis hederas passim cum baccare, tellus,
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet: Assyrium vulgo nascetur amomum.
At, simul heroum laudes et facta parentis

Iam legere, et quae sit poteris cognoscere virtus;
Molli paulatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et durae quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
Quae tentare Thetim ratibus, quae cingere muris
Oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella:
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
Cedet et ipse mari vector; nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem:
Robustus quoque iam tauris iuga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
Murice, iam crocco mutabit vellera luto:
Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.
Talia secla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcae.
Aggredere o magnos (aderit iam tempus) honores,
Cara Deûm suboles, magnum Iovis incrementum!
Adspice convexo nutantem pondere mundum;
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum;
Adspice, venturo laetantur ut omnia seclo.
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus; huic mater quamvis, atque huic pater adsit:
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer: cui non risere parentes,
Non Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

DAPHNIS.

ECLOGA V.

MENALCAS. MOPSUS.

MENALCAS.

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare levis, ego dicere versus,
Hîc corulis mixtas inter considimus ulmos?

MOPSUS.

Tu maior: tibi me est aequum parere, Menalca:
Sive sub incertas Zephyris mutantibus umbras,
Sive antro potius succedimus. Adspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

MENALCAS.

Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.

MOPSUS.

Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?

MENALCAS.

Incipe, Mopse, prior: si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.
Incipe: pascentis servabit Tityrus haedos.

MOPSUS.

Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
Carmina descripsi, et modulans alterna notavi,
Experiar: tu deinde iubeto certet Amyntas.

MENALCAS.

Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis:
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

MOPSUS.

Sed tu desine plura, puer: successimus antro.
Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin
Flebant: vos coruli testes et flumina Nymphis:
Cum, complexa sui corpus miserabile gnati,
Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri silvaeque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subiungere tigris 29
Instituit; Daphnis thiasos inducere Bacchi,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis,
Tu decus omne tuis: postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.
Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenae.
Pro molli viola, pro pupureo narcisso,
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
DAPHNIS EGO IN SILVIS, HINC USQUE AD SIDERA NOTUS,
FORMOSI PECORIS CUSTOS, FORMOSIOR IPSE.

MENALCAS.

Tale tuum nobis carmen, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine; quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum;
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen haec quocunque modo tibi nostra vicissim
Dicemus; Daphninque tuum tollemus ad astra;
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.

MOPSUS.

An quidquam nobis tali sit munere maius?
Et puer ipse fuit cantari dignus; et ista
Iam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.

MENALCAS.

Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas,
Panaque pastoresque tenet, Dryadasque puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipsi laetitia voces ad sidera iactant
Intonsi montes: ipsae iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: Deus, Deus ille, Menalca!
Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo;
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi.
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.

Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon:
Saltantis Satyros imitabitur Alphesiboeus.
Haec tibi semper erunt, et cum solemnia vota
Reddemus Nymphis, et cum lustrabimus agros.
Dum iuga montis aper, fluviis dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolae facient: damnabis tu quoque votis.

MOPSUS.

Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus austri,
Nec percussa iuvant fluctu tam litora, nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

MENALCAS.

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.
Haec nos, *Formosum Corydon ardebat Alexin:*
Haec eadem docuit, *Cuium pecus? an Meliboei?*

MOPSUS.

At tu sume pedum, quod, me cum saepe rogaret,
Non tulit Antigenes, (et erat tum dignus amari,)
Formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

Digitized by Google

SILENUS.

ECLOGA VI.

PRIMA Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit silvas habitare, Thalia.
Cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pinguis
Pascere oportet ovis, deductum dicere carmen.
Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella)
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non iniussa cano. Si quis tamen haec quoque, si quis
Captus amore leget; te nostrae, Vare, myricae,
Te nemus omne canet: nec Phoebo gratior ulla est,
Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylos in antro
Silenum pueri somno videre iacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho:
Serta procul tantum capiti delapsa iacebant;
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Adgressi (nam saepe senex spe carminis ambo
Luserat) iniiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam, timidisque supervenit Aegle,
Aegle, Naïadum pulcherrima: iamque videnti
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri: satis est potuisse videri.
Carmina, quae vultis, cognoscite: carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit. Simul incipit ipse.

Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes:
Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea.
Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animaeque, marisve fuissent,
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis:
Tum durare solum, et discludere Nerea ponto
Coeperit, et rerum paulatim sumere formas:
Iamque novum terrae stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant submotis nubibus imbres:
Incipiant silvae cum primum surgere, cumque
Rara per ignotos errent animalia montis.
Hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres, furtumque Promethei.
His adiungit, Hylan nautae quo fonte relictum
Clamassent, ut litus, Hyla, Hyla, omne sonaret:
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaën nivei solatur amore iuvenci.
Ah, virgo infelix, quae te dementia cepit!
Proetides implerunt falsis mugitibus agros:
At non tam turpis pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,
Et saepe in laevi quaesisset cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra pallentis ruminat herbas;
Aut aliquam in magno sequitur grege! Claudite, Nymphae,
Dictaeae Nymphae, nemorum iam claudite saltus;
Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris

Errabunda bovis vestigia: forsitan illum
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum,
Perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam.
Tum Phaëthontiadas musco circumdat amarae
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montis ut duxerit una sororum;
Utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;
Ut Linus haec illi divino carmine pastor,
Floribus atque apio crinis ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni; quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo: 72
Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.
Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis?
Aut, ut mutatos Terei narraverit artus:
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,
Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia, quae, Phoebo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, iussitque ediscere lauros,
Ille canit; pulsae referunt ad sidera valles:
Cogere donec oves stabulis, numerumque referre
Iussit, et invito processit Vesper Olympo.

MELIBOEUS.

ECLOGA VII.

MELIBOEUS. CORYDON. THYRSIS.

MELIBOEUS.

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum;
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas;
Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, et respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper deerraverat; atque ego Daphnin
Adspicio. Ille ubi me contra videt: Ocius, inquit,
Huc ades, o Meliboee: caper tibi salvus, et haedi;
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra:
Huc ipsi potum venient per prata iuvenci;
Hîc viridis tenera praetexit arundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida, habebam,
Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos:
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere: alternos, Musae, meminisse volebam.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.

CORYDON.

Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi

Versibus ille facit: aut, si non possumus omnes,
Hîc arguta sacra pendebit fistula pinu.

THYRSIS.

Pastores, edera crescentem ornate poëtam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro:
Aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

CORYDON.

Saetosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Micon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, laevi de marmore tota
Punicco stabis suras evincta cothurno.

THYRSIS.

Sinum lactis, et haec te liba, Priape, quotannis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti. 34
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.

CORYDON.

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
Candidior cycnis, edera formosior alba:
Cum primum pasti repetent praesepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.

THYRSIS.

Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, proiecta vilior alga;
Si mihi non haec lux toto iam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuvenci.

CORYDON.

Muscosi fontes, et somno mollior herba,
Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,

Solstitium pecori defendite: iam venit aestas
Torrida, iam laeto turgent in palmite gemmae.

THYRSIS.

Hîc focus, et taedae pingues, hîc plurimus ignis
Semper, et assidua postes fuligine nigri.
Hîc tantum Boreae curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

CORYDON.

Stant et iuniperi, et castaneae hirsutae:
Strata iacent passim sua quaque sub arbore poma:
Omnia nunc rident. At si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina sicca.

THYRSIS.

Aret ager: vitio moriens sitit aëris herba: 57
Liber pampineas invidit collibus umbras.
Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit;
Iuppiter et laeto descendet purimus imbri.

CORYDON.

Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,
Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo:
Phyllis amat corulos; illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corulos, nec laurea Phoebi.

THYRSIS.

Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis:
Saepius at si me, Lycida formose, revisas;
Fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.

MELIBOEUS.

Haec memini; et victum frustra contendere Thyrsin.
Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

PHARMACEUTRIA.

ECLOGA VIII.

